







Comp. Sept 21

✓





ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

Herausgegeben

von

Clemens Blume und Guido M. Dreves.

XLIII.

HYMNI INEDITI.

Liturgische Hymnen

des

Mittelalters.

Siebente Folge.



Leipzig.

O. R. Re i s l a n d.

1903.

HYMNI INEDITI

Liturgische Hymnen

des

Mittelalters.

S i e b e n t e F o l g e .

Aus

H a n d s c h r i f t e n u n d F r ü h d r u c k e n

herausgegeben

von

Guido Maria Dreves


S. J.



Leipzig.

O. R. Re i s l a n d .

1903.



JUN - 8 1938

10823

VORWORT.

In den Band XXIII dieser Analekten einleitenden Worten wurde derselbe als Abschluß der liturgischen Hymnen, soweit dieselben als Inedita erschienen, bezeichnet. Wenn nunmehr der XLIII. Band dennoch eine weitere Folge von Hymni inediti bietet, so geschieht dies, weil in den sechs Jahren, welche die beiden bezeichneten Bände trennen, sich so viel neues einschlägiges Material angesammelt hat, daß ein Unterbringen desselben in den voraussichtlichen Nachträgen untunlich erschien.

Den größten Zuwachs zu der vorliegenden Folge von Hymnen brachte eine neue, im Herbst 1899 begonnene Italienfahrt, unternommen, einmal, um die älteren und verbreiteteren Hymnen auf alte Handschriften zu kollationieren, sodann, um eine Reihe liturgischer Handschriften der Vatikana auszunützen, von denen Ehrensbergers „*Libri Liturgici Bibliothecae Apostolicae Vaticanae*“ (Friburgi Brisgoviae 1897) Kunde gebracht.

Der andere Teil der Hymnen stammt aus französischen Quellen, aus denen sie mein Kollege Blume auf einer Reise nach Paris, dem Limousin, der Normandie und Bretagne im Sommer 1901 entnahm.

Weitere Beiträge verdanken wir der rastlosen Schaffensfreudigkeit unseres Freundes und Mitarbeiters, Rev. H. M. Bannister,

während eine Reihe von Inedita bei einer erneuten Durchforschung österreichischer Staats- und Stiftsbibliotheken zu Tage gefördert wurde.

Es steht zu hoffen, daß mit dieser siebenten Folge — geringere Nachträge natürlich abgerechnet — die Sammlung der Hymni Inediti ihren endgültigen Abschluß gefunden.

München, den 27. Juli 1903.

Guido Maria Dreves.

**DE DEO, DE TEMPORE,
DE BEATA.**

BQ
5253
.A5
v. 43

1. Praefatio in librum hymnorum.

- Continet hymnidicus divino iure libellus
Et laudes et dicta patrum veneranda priorum.
Spiritus aeternae cum panderet abdita vitae
Et praecelsorum lustraret pectora vatum,
5. Carmina divinis fuderunt dulcia verbis.
Iure prophetali repleti fonte perenni
Instituunt et corda rigant hominumque supernis
Mentes conciliant et ad aethera pectora tollunt.
Hinc rex purpureus, caelesti munere dignus,
10. Chordarum distincta decem per carmina David
Aptavit modulos et laudibus addidit hymnos.
Haec Salomon monimenta canunt quod in ordine templi
Hausit dulcisonas hymnorum cantibus odas.
Inde nova sub lege patres, quos personat orbis,
15. Ambrosius meritis et praesul Hilarius almis
Ad cultum deitatis amant superaddere carmen,
Carmina carminibus, hymnis ut concinat hymnus.
Nam cum psalmodicas sacro modulamine chordas
Davidica resonare manu contendimus usu
20. Antiqua pietate data praemittimus hymnos,
Metrorum numeris astricta lege sonantes,
Ut foveant animos praemissa laude tepentes,
Purius et resonent psalmos pia corda sequentes.
Crescant ecclesiae plebes et carmina crescant,
25. Laudibus hymnidicis sic saecula cuncta resultent.
Hunc igitur titulum liber hic per temporis usum
Perpetui teneat nobis per saecula fixum;
Dum mare dumque polus, dum constat in aethere nimbus,
Dum spirat ventus, dum cingitur aethere tellus,
30. Semper erit monachis memorabilis iste libellus.

2. Hymnus de sancta Trinitate.

Te decet laus, te decet hymnus, gloriosa trinitas, pater et filius et spiritus sanctus; Deus unus omnipotens, tibi gloria.

Te iure laudant, te adorant, te glorificant, universae creaturae tuae, o beata trinitas

Te nos indigni laudamus et adoramus, te benedicimus, tibi gratias agimus, o beata et gloriosa trinitas.

Exaudi nos et miserere nostri et dimitte universa delicta nostra, trinitas beata.

Libera nos de poenis inferni et de potestate cunctorum adversariorum nostrorum, sancta et laudabilis trinitas.

Praesta nobis aliquam partem aeterni gaudii, ut te laudare sine fine mereamur, trinitas sancta et benedicta et gloriosa.

O laudanda et adoranda atque veneranda trinitas, tibi gloria, laus, honor et iubilatio in aeterna saecula.

Psalt. et hymn. ms. Valcidorense saec. 11/12. Clm. Monacen. 13067.

3. De sanctissima Trinitate.

- | | |
|---|--|
| 1. Te decet laus, Domine,
Qui es dives in omnibus,
Qui das et non improperas;
Da nobis sapientiam, | 3. Da, quaesumus, lucem oculis
Et fac intentos animos,
Acutam mentem tribue
Et aures cordis apperi. |
| 2. Non altam huius saeculi,
Quae est superbe sapere,
Sed Jesu Christo Domino
Pleno feramus ordine. | 4. Da nobis sensum proprium,
Da cerebrum memoriae,
Da intellectum vigilem,
Te laudent nostra labia. |

5. Praesta, pius, piissime,
Qui es pater, parentibus
Praeceptorum prioribus
Plenum perceptum plenius.

Psalt. et hymn. ms. Valcidorense saec. 11/12. Clm. Monacen. 13067. —
2,3 Sed tibi, Domine Jesu Christo Domino Hs. — 3,3 Acutem. — 5, 4 Plenam perfectam plenius. — Dieser Hymnus folgt in der Hs. unmittelbar auf den prosaischen gleichen Anfangs.

4. De sanctissima Trinitate.

Ad Matutinum.

- | | |
|--|--|
| 1. Laudes dicamus Domino
Per omnes linguas hominum,
Cui omne genu flectitur,
Et voces nostrae iubilent. | 2. Tu es, qui eras antea,
Tu es, qui eris postea,
Trinus et unus, gloria
Tibi Deus per saecula. |
|--|--|

- | | |
|---|---|
| 3. Linguae solve aeruginem,
Vocem favens da pectori,
Tibi laudes et gratias
Pleno reddamus ordine. | 4. Tibi honor et gloria,
Tibi magnificentia,
Tibi et hic potentia
Et in aeterna saecula. |
|---|---|

Psalt. et hymn. ms. Valcidorense saec. ¹¹/₁₂. Clm. Monacen 13 067. —
2, 2 qui et postea. — 4, 3 Tibi et potentia. — 4, 4 Hic et in aeterna saecula. —
Dieser Hymnus steht in der Hs. auſser der Reihe, scheint indes der fehlende
Mettenhymnus zu sein.

5. De sanctissima Trinitate.

Ad Laudes.

- | | |
|--|--|
| 1. Te Deus, una trinitas,
Nostra collaudant carmina,
Benigno vultu respice
Tuorum vota supplicum. | 3. Professionem fidei
Decorent actus caelibes,
Quibus perennis gaudii
Efficiamur compotes. |
| 2. Infunde nostris sensibus
Tui amorem spiritus,
Qui fluctivagos saeculi
Procul repellat impetus. | 4. Sit Deo patri gloria,
Sit honor eius filio,
Sit decus sancto flamini
Per infinita saecula. |

Psalt. et hymn. ms. Valcidorense saec. ¹¹/₁₂. Clm. Monacen. 13 067.

6. De sanctissima Trinitate.

Ad Primam.

- | | |
|---|--|
| 1. Incircumscriptae gloria
Trinitatis mirabilis
Summe commendat unicae
Deitatis potentiam. | 3. Sit semper nobis, quaesumus,
Tua comes clementia,
Dum versamur volubili
Praesentis vitae orbita. |
| 2. Quod nos, dum fide stabili
Profitemur te Dominum,
Magnificamus consonis
Praeconiorum iubilis. | 4. Deo patri ingenito
Eiusque unigenito,
Sancto simul paraclito
Sit laus omnis per saecula. |

Psalt. et hymn. ms. Valcidorense saec. ¹¹/₁₂. Clm. Monacen. 13 067. —
1, 2 mirabile.

7. De sanctissima Trinitate.

Ad Tertiam.

- | | |
|--|---|
| 1. Aeternae rex potentiae,
Totius factor machinae,
In trinitatis nomine
Te deprecamur, Kyrie. | 2. Tuis dona supplicibus,
Odas tibi canentibus,
Ut purgatis sceleribus
Te fruamur uberius. |
|--|---|

- | | |
|---|---|
| <p>3. Dilectionis geminae
Crescat nobis suavis,
Sicque succedat inclita
Caelestis vitae dignitas.</p> | <p>4. Sit trinitati unice
Postestas et victoria,
Sit iugis iubilatio
In saeculorum saecula.</p> |
|---|---|

Psalt. et hymn. ms. Valcidorense saec. ¹¹/₁₂. Clm. Monacen. 13067. —
4, 4 saecula saeculorum.

8. De sanctissima Trinitate.

Ad Sextam.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Te trinitatis gloriam
In unitate simplicem
Et deitatem unicam
In trinitate triplicem</p> | <p>3. Quorum choris concentuum
Admitte vota supplicum,
Te corde complectentium
Fideque confitentium.</p> |
| <p>2. Cives adorant caelici
Chorique Michaelici
Tibi canunt sancti tui
Omnesque lucis filii.</p> | <p>4. Tibi melodum gloria
Deo patri cum filio,
Sancto simul paracrito
In saeculorum saecula.</p> |

Psalt. et hymn. ms. Valcidorense saec. ¹¹/₁₂. Clm. Monacen. 13067. —
1, 2 simpliciter. — 3, 4 confidentium. — 4, 4 saecula saeculorum.

9. De sanctissima Trinitate.

Ad Nonam.

- | | |
|---|--|
| <p>1. O trinitas laudabilis
Et unitas mirabilis,
In simplici substantia
Virtus manens intermina.</p> | <p>3. Fidem corona supplicum,
In te pie viventium,
Exerge sordes mentium.
Sortis misertus pauperum.</p> |
| <p>2. Tu caritatis puritas,
Tu pax et immortalitas,
Patris, nati, paracleti,
Decore pollens perpetim.</p> | <p>4. Honor, decus, laus, gloria
Deo patri cum filio,
Sancto simul paracrito,
Qui regnat absque termino.</p> |

Psalt. et hymn. ms. Valcidorense saec. ¹¹/₁₂. Clm. Monacen. 13067. A. —
Brev. ms. Autisiodorense saec. 15. (Privatbesitz). B. — Diurn. et hymn. ms.
Benedictin. Suevic. saec. 15. Cod. Upsalen. C 477. C. — Brev. ad usum Fra-
trum ord. ss. Trinitatis de redemptione captivorum imp. Parisiis 1515. D. —
Brev. Canonic. regul. sec. ordinarium capituli Sion imp. Schonhovie 1507. E.

1, 1 Tu trinitas B. — 1, 3 Tu simplici D. — 1, 4 interminabilis C. —
2, 1 Tu caritas, tu puritas B C D E. — 2, 3 Pater, natus, paracritus D. —
3, 1 Fidem terrenam A. — 3, 4 miserta B. — Nach Strophe 3 haben
D: Tu poli chori[s] civium
Voces admitte supplicum
Te corde complectentium
Fideque confitentium.
E: Da gaudiorum praemia,
Da gratiarum munera,
Dissolve litis vincula,
Astringe pacis foedera.

Die Doxologie lautet in B C E:

Laus patri sit ingenito,
Laus eius unigenito,
Laus sit sancto spiritui,
Trino Deo ac simplicii;

in D dagegen:

Laus et perennis gloria
Deo patri et filio,
Sancto simul paraclito
Regnanti absque termino.

Cfr. Mone I, 4. Der Hymnus ist hier eingereiht, um die von No. 4 bis 11 inkl. laufende Serie nicht zu verstümmeln.

10. De sanctissima Trinitate.

Ad Vesperas.

- | | |
|--|--|
| 1. O benedicta trinitas,
Et adoranda unitas,
Quod tibi pie canimus,
Tuis aspira laudibus. | 3. Huius fidei firmitas
Tuam nobis conciliet
Optatam votis gratiam,
Boni totius praeuam. |
| 2. In personarum numero
Unum te Deum credimus,
Cunctipotentem omnium
Creaturarum principem. | 4. Concedat trina deitas,
Praestet una divinitas,
Ut suae laudis cantica
Sint nobis salutifera. |

Psalt. et hymn. ms. Valcidorense saec. 11/12. Clm. Monacen. 13067. A. — Psalt. et hymn. ms. Ostense saec. 15. Cod. Parisin. 1329. B. — Brev. Lascurrense imp. Lascurris 1541 (reimp. 1891). C.

1, 1 O fehlt C; O veneranda B. — 1, 3 Qua pie tibi B; Quac pie tibi C. — 2, 4 Creator et principium B. — 3, 1 Cuius BC; diei firmitas B. — 3, 3 Obtentis votis B; Optatam nobis C. — 3, 4 Bonis B. — Cfr. Anal. XI, 13; vgl. die Bemerkung zu Nr. 9.

11. De sanctissima Trinitate.

Ad Completorium.

- | | |
|--|--|
| 1. Ave, colenda trinitas,
Ave, perennis unitas,
Pater Deus, nate Deus
Et Deus alme spiritus. | 3. Ut cum nobis ingruerit
Tremenda dies ultima,
Tuae dulcis clementiae
Sentiamus munimina. |
| 2. Hactenus tibi consona
Depromimus praeconia,
Sint ea tuo, quaesumus,
Conspectui gratissima. | 4. Et nos iam, alma trinitas,
Attende pio munere,
Ut angelorum laudibus
Admittas, quod persolvimus. |

5. Gloria tibi, Domine,
Gloria, unigenite,
Cum spiritu paraclito
[Et nunc et in perpetuum].

Psalt. et hymn. ms. Valcidorense saec. 11/12. Clm. Monacen. 13067. —
Vgl. die abweichende Form dieses Hymnus Anal. XIX, 9 und die Bemerkung
zu Nr. 9.

12. De sanctissima Trinitate.

- | | |
|------------------------------|----------------------------|
| 1. O gloriosa trinitas, | 2. Tu trinitatis unitas, |
| Nobis fer opem miseris, | Arcem tenens prae ceteris, |
| Quibus per te sit sanctitas, | Poenas remittas debitas |
| Dimissa noxa sceleris. | Et nos aduna superis. |

3. Deo patri sit gloria
Eiusque unigenito,
Sint et laudis sollemnia
Spiritus paraclito.

Psalt. et hymn. ms. Eremit. S. Aug. Memmingen. saec. 15. Clm. Monacen.
8171. — 1, 3 ft. — Mel.: Verbum supernum prodiens.

13. De sanctissima Trinitate.

In 1. Vesperis.

- | | |
|---|--|
| 1. Exaudi nos, rex unice,
Quem unum facit unio
Postestatis mirifica
Trinumque personatio. | 3. In tribus fas est credere
Tres personas, sed non tria,
Quas donet nobis colere
Una trium essentia. |
| 2. Personando distinguimus,
Te credamus ut trinitas,
Et ad unum referimus,
Ut adoretur unitas. | 4. A nullo pater exiit,
A solo patre filius,
Ab his spiritus prodiit
Sanctus, amborum conscius. |
5. Patri omnipotentia
Suo cum unigenito
Sit perennis et gloria
Cum spiritu paraclito.

Brev. Grassense imp. Lugduni 1528.

14. Hymnus Vespertinus.

- | | |
|--|---|
| 1. Sator princepsque temporum,
Clarum diem laboribus
Noctemque qui soporibus
Fixo distinguis ordine | 2. Mentem tu castam dirige,
Obscura ne silentia
Ad dira cordis vulnera
Telis patescant invidi. |
|--|---|

- | | |
|---|---|
| <p>3. Somno non cedat spiritus
Vigilque custos corporis
Metus inanes arceat,
Fallax depellat gaudium.</p> | <p>4. Vacent ardore pectora
Facies nec ullas sentiant,
Adfixa ne praecordiis
Mentis vigorem saucient.</p> |
|---|---|

5. Sed cum defessa corpora
Somni tenebunt gratiam,
Solo quietis sit memor,
Fides soporem nesciat.

Psalt. ms. saec. 8/9. Cod. Vatican. Reg. II. — 1, 3 wieder laboribus. — 3, 3 inanis. — 5, 3 Lies: Sola quietis immemor? — 5, 4 nesciant. — Cfr. Tommasius II, 419.

15. Hymnus Vespertinus.

Feriae Quartae.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Deus, creator omnium,
Qui finem das principiis,
Post diem horas noctium
Quietas fac a noxiis.</p> | <p>3. Sensus humani corporis
Tibi Christe deserviat
Et nos in fine temporis
Dignos corona faciat.</p> |
| <p>2. Non hostis nos impediatur,
Quin finem demus debitum,
Luci nosque suscipiat
Christus vitae post exitum.</p> | <p>4. Spondet coronam operis
Finis, si sit legitimus;
Christe, nostri memineris,
Lucis finem dum agimus.</p> |

5. Deo patri sit gloria
Tibique soli filio
Cum paracliti gratia,
Quo gaudeamus socio.

Brev. Grassense imp. Lugduni 1528.

16. Hymnus laudis ad Deum.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Omnipotenti Domino
Digna demus praeconia
Regi regum per omnia
Benedicentes saecula.</p> | <p>3. O quam inaestimabilis
Dei patris dilectio,
Quanta, quam admirabilis
Tanti regis dignatio,</p> |
| <p>2. Qui suum dedit filium
Pro nobis unigenitum
Redemptionis pretium
Misertus pereuntium.</p> | <p>4. Pro reis illum tradere,
Qui peccatum nescierat,
Pro servis dare filium,
Quem semper sic dilexerat!</p> |

- | | |
|--|---|
| <p>5. Quis tantum beneficium
Recompensare poterit?
Quis tantum reddet debitum,
Si se totum impenderit?</p> | <p>6. Os, lingua, mens, sensus, vigor,
Confessionem personent,
Flammescat igne caritas
Nec a laude se temperet.</p> |
|--|---|

7. Grati laudent, glorificent
Venerentur dona Dei,
Hunc nostra vox snmper sonet,
Et corda solvamus tibi.

Opusc. ms. S. Augustini saec. 15. Cod. Vatican. Palat. 224. A. —
Opusc. ms. S. Augustini saec. 15. Cod. Rossian. IX 44. B. — 1, 1 Deo A;
Domino alias Deo B. — 5, 2 Totum pensare A. — 7, 1 glorificent fehlt A —
7, 3 Hanc AB; vox primum sonet B.

17. Hymnus ad Deum.

Ad Processionem.

- R⁰. Iuste Deus, iudex fortis, patiensque benignus
In te sperantes muni miserando fideles.
1. Surge et in aeternum serva munimine sacro
Custodique tuos, astripotens, famulos.
2. Naturae genitor, conserva a morte redemptos
Facque tuo dignos servitio famulos.
3. Pectora nostra tibi tu, conditor orbis, adure
Igne pio purgans atque cremando probans.
4. Tu populum humilem salvasti a morte redemptos
Atque superba tuo colla premis iaculo.
5. Sponsus ut de thalamo processit Christus in orbem
Descendens caelo iure salutifero.
6. Auxilium nobis, salvator, mitte salutis
Et tribuas vitam tempore perpetuo.
7. Rex sine fine marens, miseris tu parce ruinis
Praemia contendens et tua cuncta regens.

Clm. Monacen. (ol. Eberspergen.) 5823. saec. 14. — Überschrift Metra.
Die zwei ersten Hexameter bilden aller Wahrscheinlichkeit nach den Rund-
reim. Nach Inhalt und Form erinnert das Lied an die Prozessionshymnen
der St. Galler Schule. Der liturgische Gebrauch ist allerdings nicht nach-
zuweisen.

18. Hymnus Trium Puerorum.

- O sator omniparens, es qui per saecula, clemens,
 Os aperi nostrum, quo te laudemus in unum
 Cum tribus et pueris sanctum cantemus ut hymnum.
 Principium nostris tu sis ac terminus odis,
5. Qui regis aeternum stabili moderamine regnum.
 Omnia nunc elementa Dei, benedicite Christo
 Et superexaltate Deum per saecula cuncta.
 Angelici cum laude chori, benedicite Christo,
 Et caeli caelorum et aquae, benedicite Christo.
10. Omnes virtutes Domini benedicite Christo.
 Sol et luna, simul Domino benedicite Christo,
 Et stellae caeli, Domino benedicite Christo.
 Imber rosque, Deo canite et benedicite Christo,
 Spiritus atque omnis, Domino benedicite Christo.
15. Aestas atque ignis, Domino benedicite Christo.
 Frigus, cauma, Deo canite et benedicite Christo.
 Rores atque pruina, Deo benedicite Christo.
 Frigus et omne gelu, Domino benedicite Christo.
 Nix glaciesque, Deo canite et benedicite Christo.
20. Noctes atque dies, Domino benedicite Christo.
 Lux simul et tenebrae, Domino benedicite Christo.
 Fulguraque et nubes, Domino benedicite Christo.
 Omnis terra Deum benedicat in omnia saecula.
 Montes et colles, Domino benedicite Christo.
25. Germina cuncta soli, Domino benedicite Christo.
 Et maria et fontes ac flumina, psallite Christo.
 Quaeque natant in aquis, Domino benedicite Christo,
 Omnes et volucres caeli, benedicite Christo.
 Bestiae et omne pecus, Domino benedicite Christo,
30. Atque hominum nati, Domino benedicite Christo.
 Israel, Dominum benedicite in omnia saecula.
 Eia, sacerdotes, Domino benedicite Christo,
 Spiritus atque animae iustorum, psallite Christo.
 Corde humiles sanctique, Deo benedicite Christo.
35. Anania, Azaria, Misahel, benedicite Christo
 Et superexaltate Deum per saecula cuncta.
 Altithronum patrem cum prole et pneumate sancto
 Nunc benedicamus pariter laudemus et illum
 Et superexaltemus eum per saecula cuncta,
40. Nos super est eius quoniam miseratio multa
 Nos et ab ignivomo clemens subtraxit averno
 Et quia florigero sua germina reddidit horto.
 Gloria semper ei maneat per saecula saeculi.

Collectan. ms. Gemmeticense saec. ¹⁰/₁₁. Cod. Rotomagen. 1385. (U 107)
 add. saec. 11. — Vgl. das zu No. 17 Bemerkte.

19. In Nativitate Domini.

Ad Processionem.

- Salve, festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua Deus exstat homo, qua polus instat humo.
Sol liquit superos, infra lux caelica fulget,
Et melos angelicum concrepat aula poli.
5. Sic rex pacificus contemperat infima summis
Et retulit dragmam, quam male perdit Adam.
Tres soles coeunt, crucifixus fulget in astris,
Engaddi vites germine, flore favent.
Nascitur ergo Iesus de virgine, regia proles;
10. In nobis habites; sit benedicta dies.

Process. ms. S. Osithae saec. 15. Cod. Oxonien. Laud. miscell. 329. —
Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

20. In Nativitate Domini.

Ad Processionem.

- Salve, festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua Deus illuxit lux et imago patris.
Ecce, novae lucis oriuntur tempora nobis,
Pax redit et requies, hoc docet aucta dies.
5. Iam repetit sursum solaris lampada cursum,
Mors abit, orbis avet, nox peritura pavet.
Quod patriarcharum typicaverat umbra priorum,
Quod lex et vates dixerat, ecce, patet.
10. Spina rosam, Iudaea Deum, virguncula florem
Et genuit iugem stella Maria diem.
Virga ferens florem cum fructu spirat odorem,
Flos Christus, caro nux, nucleus est deitas.
- Salve, porta Dei, via, virgo Maria, diei,
Per quam lux nobis fulsit ab arce patris.

Miss. ms. Tornacense saec. 14. Cod. Tornacen. XIII. Daraus Voisin in
Bulletin de la société historique et littéraire de Turnai. Tome VIII. (1862)
p. 114 sq. — 3, 2 paritura Hs. — 7, 1 dies Hs. — 7, 2 ab arche Hs.

21. In Epiphania Domini.

Ad Processionem.

- Salve, festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua Iesus in cunis claruit esse Deus.
Fulgida stella magis nova duxit solis ab ortu,
Qui nato Domino munera magna ferunt.

5. Auro, ture Iesum, murra magi venerantur,
Rex, sacer, athanatos haec tria dona petit.
Conviviis aderat hodie suadenteque matre
In vinum melius illico vertit aquas;
Convivas hilarant nova mox libata Falerna.
10. Huic hilares: Salve, psallite, festa dies.
Vox patris audita, bona prolis, missa columba,
Haec tria testantur, quis foret iste puer.
Iordanis lavacra subit mala nostra lavando,
Hinc baptista tremit tangere membra Iesu.
15. O pater, o proles, o spes, o [lux] Deus alme,
Da famulis veniam, quae tua festa colunt.

Process. ms. S. Osithae saec. 15. Cod. Oxonien. Laud. miscell. 329. —
Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

22. De Nomine Iesu.

In 2. Vesperis.

- | | |
|--|---|
| 1. Iesu, fili Dei,
Pietatis mare,
Nomen sanctae spei,
Nomen salutare. | 5. Praestat caecis visum
Et sermonem mutis
Datque claudis gressum
Et auditum surdis. |
| 2. Cibus, medicina,
Lux est Iesu nomen,
Servans a ruina
Donansque solamen. | 6. Nomen reverendum
Suscitat defunctos,
Nomen expavendum
Liberat obsessos. |
| 3. Pascit cogitatum,
Praedicatum lucet,
Lenit invocatum,
Castas mentes fovet. | 7. Quod a genitoris
Pietate datur,
Hoc in salvatoris
Nomine petatur. |
| 4. Consolatur tristes,
Paenitentes salvat,
Confortat pugnantes,
Omnes morbos sanat. | 8. Sit laus trinitati
Decus atque virtus,
Compar unitati
Honor, lux et decus. |

Brev. ms. Atrebatense imp. Rotomagi 1517 — Brev. Atrebatense imp.
Atrebatum 1595. — Mel. jedenfalls: Ave maris stella.

23. In Transfiguratione Domini.

Ad Vesperas.

- | | |
|--|--|
| 1. Aeterna caeli gloria,
Beata spes mortalium,
Cuius est refulgentia
Maior astrorum omnium. | 2. Salutem supplicantibus
Utriusque des hominis,
Lumen infunde mentibus,
Lux lucis et fons luminis. |
|--|--|

- | | |
|---|--|
| <p>3. Peccata nostra deleas
Pacemque dones cordium,
Vitam aeternam praebeas,
Christe, redemptor omnium.</p> | <p>4. Transfigurato Domino
Laus, honor, virtus, gloria,
Qui det in vitae termino
Beata nobis gaudia.</p> |
|---|--|

Brev. ms. Monialium s. Francisci Nanceiensium saec. 15. Cod. Semin. Nanceien. 1.

24. In Transfiguratione Domini.

Ad Vesperas.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Laudetur sancta trinitas
Et indivisa unitas,
Quia misericordiam
Nobis fecit et gratiam.</p> | <p>3. Natus in sapientia
Carnis per petulantiam
Vitare det letitiam
Deflere et gementia.</p> |
| <p>2. Nunc pater in potentia
Regnat mundi dementia
Et det in patientia
Transire impugnantia.</p> | <p>4. Pneuma, amborum caritas,
Beatitudo, sanctitas,
Virtutum fons, suavitas,
Lustra, unge nos, deitas.</p> |
5. Trinitati sit gloria,
Ut det frui victoria
In terris omnifaria
Et in caelesti curia.

Antiph. ms. Scepusiense saec. 15. Cod. Capit. Scepusien. s. n. — 3, 2
peculentia. — 3, 3 iam det laetitia.

25. In Septuagesima.

1. Alleluia, dulce carmen et caeleste, canimus,
Quod Iohannes, sacer ille virgo et apostolus,
De secreto paradisi haurire promeruit,
2. Alleluia, quod superna mater nostra sedulo
Hierusalem concinendo hymnizare noscitur,
Trinum semper atque unum commendans altithronum;
3. Alleluia nunc in terris totis canamus viribus,
Quo post mortem in supernis iubilemus sedibus,
Ipsam regem saeculorum laudaturi perpetim.

Psalt. et hymn. ms. Lambacense saec. 12. Cod. Lambacen. s. n.

26. Tempore Quadragesimae.

Ad Matutinum.

- | | |
|---|---|
| 1. Largitor indulgentiae,
Jesu benigne, suscipe
Jeiunium familiae
Tuo redemptae sanguine. | 4. Profunda sit compunctio
Et pura supplicatio,
Famesque nostra serviat
Refectioni pauperum. |
| 2. Salubre nobis effice
Hoc tempus acceptabile
Frugalis observantiae
Sanctaeque quadragesimae. | 5. Purgata conscientia
Ventura Paschae gaudia
Digne colat cum moribus
Et actibus paschalibus. |
| 3. Fac, ut quiescant iurgia
Et sopiantur odia,
Fiat procul lascivia
Et omnis arrogantia. | 6. Tibi, beata trinitas,
Sit laus et omnis gloria
Nobisque per te sit tuis
Condigna vita laudibus. |

Brev. s. Albini Andegavensis imp. s. l. 1531.

27. De Passione Domini.

Ad 1. Vesperas.

- | | |
|---|---|
| 1. Pias, homo, da lacrimas,
Regem poli dum prospicis
Plagas pati purpureas,
Per quas lavantur crimina. | 3. Vides Mariae filium
Pro te mori crudelius,
Hic innocens et tu nocens,
Nec aestimes iudicium. |
| 2. Caput dolens ecclesiae
Membris dedit solacium,
Vulnus tulit pro vulnere
Totum propulsans vitium. | 4. Homo capit, non angelus,
Redemptionis gratiam,
Ingratus est homo magis,
Qui spernit haec suffragia. |

5. Deo patri sit gloria
Vulneratoque filio
Cum spiritu paraclito
Et nunc et in perpetuum.

Brev. Ordinis fratrum Eremitarum s. Pauli imp. Venetiis 1540. —
„Officium de passione Domini per omnem sextam feriam celebrandum . . .
receptum per patres definitores anno 1536.“ — 1, 1 das. — 5, 3 paraceto.

28. De Passione Domini.

Ad Laudes.

- | | |
|---|---|
| 1. Latus patens, latus fluens
Aguas dedit cum sanguine,
Sponsae nigrae tergit rugas
Dei lavans imaginem. | 2. Clavus rebellis ferreus
Tensas manus in stipite
Figit, latusque perforat
Sudes acuta militis. |
|---|---|

- | | |
|---|---|
| 3. Figunt pedes innoxios
Cruci truces et impii,
Lignum crucis nudum rapit
Iustum, leprae simillimum. | 4. Succurre tuis, quaesumus,
Qui sanguinem fundis tuum
Durumque fers patibulum,
Servis crucis fidelibus. |
|---|---|

5. Deo patri sit gloria
Vulneratoque filio
Cum spiritu paraclito
Et nunc et in perpetuum.

Brev. fratrum Eremitarum sancti Pauli imp. Venetiis 1640.

29. De sancta Cruce.

Ad Vesp. et Noct.

- | | |
|--|---|
| 1. Ave, crux, lignum nobile,
Aeternis digna laudibus,
Hosti signum terribile,
Impressa regum frontibus. | 4. Tu ligni vitae surculus,
Tu triumphalis titulus,
Tu vecti botri baiulus,
Quem fert uterque populus. |
| 2. O crux, inter pericula
Tu naufraganti tabula,
Per te purgantur crimina,
Cui vetus cessit lamina. | 5. Crux ara, crux craticula,
Da nobis agni fercula,
Qui solus sine macula
Solvit a labe saecula. |
| 3. Per te salvatur Israel
Ab hostis exterminio,
Praesignavit Ezechiel
Sub Tau te mysterio. | 6. Constantino victoriam
Crux dedit et Heraclio,
Nos cruci demus gloriam,
Per quam nostra redemptio. |

7. Gloria tibi, Domine,
Cum patre et sancto flamine,
Qui resurgens a mortuis
Mortem per crucem destruis.

Prosar. ms. Parisiense saec. 13. Cod. Assisien. Commun. 695.

30. De sancta Cruce.

In Laudibus.

- | | |
|---|--|
| 1. Aeterni patris unicum
Tangat affectus supplicum,
Qui per crucis mysterium
Mortis solvit imperium. | 2. Verbi celant potentiam
Sumpta carnis mysteria,
Vicit hostis malitiam
Divina sapientia. |
|---|--|

- | | |
|---|---|
| <p>3. Escam videns improvidus
Non praevidit aculeum;
Dum praedam captat avidus,
Necis incurrit laqueum.</p> | <p>5. Crux nostrae frontis gloria,
Munimen et protectio,
Cordis munit vitalia
Sacrae crucis impressio.</p> |
| <p>4. Salve, crux, arbor nobilis,
Nunc clara, prius humilis,
Prius tormentum sceleris,
Nunc spes superna miseris.</p> | <p>6. O crux, prae lignis inclita,
Ligno mortis opposita,
Tu nobis hostem subicis
Tribunal facta iudicis.</p> |

7. Gloria tibi, Domine etc.

Prosar. ms. Parisiense saec. 13. Cod. Commun. Assisien. 695.

31. De sancta Cruce.

In 1. Vesperis.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Aveto, gloriosior
Crux omni ligno florido,
Cui non est fructus parilis
Vitis Cypri nec Engaddi.</p> | <p>3. Nam vitae praegnans germine
Fides floret ecclesiae,
Pro qualitate fructuum
Turbam repellit daemonum.</p> |
| <p>2. Salve, figura nobilis,
Venusta Christi brachiis,
Quae florens omni tempore,
Maturas grana gratiae.</p> | <p>4. Hic fructus pretiosior
Est omni malo puico,
Quem de fide suscipimus
Actuque vero fruimur.</p> |

Brev. Monasterii s. Crucis beati Leufredi (Ebroicensis dioecesis) imp.
s. 1. et a [1544]. — 2,4 Matura. — 3,2 flores.

32. Hymnus de sancta Cruce.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Arbor alta, crux beata,
Virtus orbis unica,
Sola digna, salve, lecta
Ferre mundi pignora,
Navis tuta, urbs munita,
Compta regis purpura.</p> | <p>3. Sole vibrans, nempe clara
Luce terrens tartara,
Tu Mariae rore cresce,
Lata tende brachia,
Mortis Evae iura solve,
Viva funde flumina.</p> |
| <p>2. Pax perennis, horror hostis,
O crux ave nobilis,
Fons salutis, arx amoris,
Pignus almi foederis,
Tu decora sic consiste
Lota sacro sanguine.</p> | <p>4. Quattuor quadrangulatis
Haec nitet virtutibus,
Crux fidelis more matris
Nutrit, ambit, diligit,
Spes volando caeli recta
Summa poscit aethera.</p> |

- | | |
|--|---|
| <p>5. Latitudo caritatis
 Ampla donat munera,
 Longa virtus, fortis aula,
 Docta ferre proelia,
 Lucis auctor, orbis emptor,
 Hanc honorat gratia.</p> | <p>9. Crux, piorum laus virorum,
 Crux, triumphus martyrum,
 Crux aegrotis vis vigoris,
 Crux ligamen virginum,
 Crux monachis dux herilis,
 Crux corona praesulum.</p> |
| <p>6. Crux regendo mundi cuncta
 Rite complet compita,
 Vesper, ortus, auster imus
 Et sinister aquilo,
 Messis, aestus, ver et frigus
 His quadrata partibus.</p> | <p>10. Crux parata nautis portus,
 arx Dei militibus,
 Crux tutela, lex, auriga,
 Crux regalis ancora
 Cruxque lumen et sophia,
 Crux gubernat omnia.</p> |
| <p>7. Crux nitendo nonne totum
 Consecravit saeculum?
 Hac niten[t]que Christi quadra
 Prorsus evangelia,
 Coetus hac apostolicus
 Consecratus gloria.</p> | <p>11. Crux sacrata splendet alma,
 Sponte pandit, regia,
 Cuius iure constat omne,
 Quidquid durat in orbe,
 Mors et vita, caelum, terra,
 Pontus atque sidera.</p> |
| <p>8. Vera manat inde vita,
 Regnat immortalitas,
 Crux amoena patrum palma,
 Crux prophetis dignitas,
 Crux peregrinorum doxa,
 Crux regum victoria.</p> | <p>12. Crux colenda, nosque serva
 Per tropaea mystica,
 Crux benigna, regis ara,
 Pacis adde foedera,
 Crux amanda, vere cara,
 Duc nos super sidera.</p> |
13. Numen unum gloriosum,
Salve, sancta trinitas,
Per crucis nos mysterium
Salva, simplex unitas,
Sit tibi Deo perenni
Sempiterna claritas.

Collect ms. S. Vitoni Virdunensis saec. 11. Cod. Virdunen. 77. — Auf-
schrift: „Incepit laus Cari de sancta cruce, rogati a Theoderico, religioso
monacho sancti Petri et sancti Vitoni.“ — Man beachte den durchwegs ge-
währten Binnenreim in den Verszeilen 1, 3, 5. Abschrift von Ernest
Rivière S. J.

33. In Inventionem s. Crucis.

Ad Processionem.

Salve, festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua pia crux Christi fulget et alta petit.
Ecce, crucem Domini, per quam sunt lubrica pulsa!
Nunc in amore crucis pectora nostra crement.

5. Iudex cum veneris, concernere saecula cuncta,
Praemia tunc iustis desque reis veniam.
Angelicis turmis cingas nos, conditor orbis,
Non nostris meritis sed bonitate crucis.
Mittitur a patre, qui laxat crimina gratis;
10. Pro venia flentes hic rogemus eum.
Qui crucifixus erat, Deus, ecce, per omnia regnat;
Crimina nunc nostra linquere nos faciat.
Fert crux omne bonum, crux pellit omne delictum,
Crux tegit hic clerum, crux iuvat et populum.
15. Virtus et omnis honor tibi sit, rex Christe, redemptor,
In cruce consigna cuncta creata tua.

Process. ms. Wintoniense saec. 15. Cod. Oxonien. Bodl. 637. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

34. De Corona Spinea.

Ad Vesperas.

- | | |
|---|---|
| 1. Laudemus regem gloriae
Nostrae coronam spineam
Imprimentes memoriae,
Christi cruore roseam. | 3. Spinae ferens ludibrium
Rex spina carens pungitur,
Spineti purgat vitium,
Dum spinis punctus moritur. |
| 2. Rex regum, regis filius,
Descendit a regalibus,
Rex culpae spinae nescius
Est coronatus sentibus. | 4. Gloria tibi, Domine,
Pro coronae virtutibus,
Redemptos tuo sanguine
Supernis iunge civibus. |

Brev. Scarense imp. Norimbergae 1498. A. — Brev. Aarhusiense imp. Aarhusiae 1519. B.

35. De Corona Spinea.

Ad Laudes.

- | | |
|--|--|
| 1. Laudes ad laudes iungite,
Exsultet caelum laudibus,
Laudes coronae psallite,
Gentes, plaudite manibus. | 3. Spina, spineti gloria,
Oppressos spinis liberat,
Per spinam fit victoria,
Dum spina Christum vulnerat. |
| 2. Angelorum rex capitur,
Sertum paratur spineum,
Dum serto spinae pungitur,
Regnum vicit tartareum. | 4. Gloria tibi, Domine,
Pro coronae virtutibus,
Redemptos tuo sanguine
Supernis iunge civibus. |

Brev. Scarense imp. Norimbergae 1498. A. — Brev. Aarhusiense imp. Aarhusiae 1519.

36. Sabbato in Palmis.

Ad Vesperas.

- | | |
|--|--|
| 1. Crucis instant sollemnia,
Pa[n]dunt redemptis gratiam,
Quae fuit morientium
Salus, vita viventium. | 3. Sanguinis fluens undula
Lavit mundi piacula,
Aquam fudit pro lavacro
Carnem tradens in pabulo. |
| 2. Lignum conscendens pretii
Exclisit crimen vetiti,
Sic sua morte vivimus,
Viventi conresurgimus. | 4. Crux, salus et refugium,
Spes nostra et praesidium,
A morte salva duplici
Merce quaesitos sanguinis. |
5. Simplici trino Domino
Sit laus et iubilatio,
Nos condidit aeternitas
Cuius, redemit caritas.

Hymnar. ms. Bobiense saec. 11. Cod. Vatic. 5776. — 1, 2 Padunt. — 4, 4 Merces. — „Sabbato in Palmas ad Vesperum.“

37. Sabbato Saneto.

1. Haec est clara dies, clararum clara dierum,
Haec est sancta dies, sanctarum sancta dierum,
Nobile nobilius rutilans diadema dierum;
2. Ecce, dies toto rutilat festivior anno,
Qua Deus omnipotens superata morte resurgens
Traxit ab infernis captorum mille cavernis.
3. Namque nostrae abiere
Atque Iesum invisere
Caeli cives dicunt illum vivum iam regnare.

Trop. ms. Nivernense saec. 12. Cod. Parisin. Nouv. acq. 1295. — „In reditu fontium,“ also ein Prozessionshymnus. Die ersten drei Hexameter kommen auch in der Liturgie des Eselsfestes vor. Vgl. Anal. XX, 219.

38. Dominica in Albis.

Ad Vesperas.

- | | |
|---|---|
| 1. Qui cum triumpho gloriae
Surrexisti a funere,
In huius noctis tempore
Custos esto nobis, Christe. | 2. Tuae carnis sacramentum
Sanguinisque mysterium
Adversus hostem callidum
Exhibeant praesidium. |
|---|---|

- | | |
|--|---|
| <p>3. Victrice tua dextera
Inter festa paschalia
Nostra nunc regatur vita
Aliaque per tempora.</p> | <p>6. Sit in ore confessio
Tuae laudis continua,
Eamque mors non obstruat.
Dum noster flatus vegetat.</p> |
| <p>4. Vigilemus in spiritu,
Dum soporantur corpora,
Mundosque nos excipiat
Surgentis solis aurora.</p> | <p>7. Alleluia, vocis tuba
Frequentando Alleluia
Te, Iesu, benedicamus,
Alleluia, dum vivimus.</p> |
| <p>5. Repentinae mortis casus
Ne nobis sit interitus,
Fovere nos non deseras,
Christe, qui cuncta ordinas.</p> | <p>8. Deo patri Alleluia
Filioque Alleluia,
Sancto quoque spiritui,
Gloria sit, Alleluia.</p> |

Brev. ms. Antisiodorensae saec. 15. (Privatbesitz) A. — Brev Antisiodorensae imp. Cabeliae 1483. B.

39. In Ascensione Domini.

Ad Processionem.

- Salve, festa dies, qua Christus ad astra regressus
Nostrum de terra corpus ad ipsa levat.
Immo super caelos levat hic et collocat omnes
Ad dextram in nostra carne patris residens.
5. Naturae decus hoc supremaque gloria nostrae
Ordini sublimi praeminet angelico.
Nec minor utilitas super hoc quam gloria nobis,
Carne quod in nostra considet ipse patri.
Hanc ipsam semper praesentans vultibus eius,
10. Qua tot pro nobis tantaque sustinuit.
Sic interpellans pro nobis semper et orans
Conciliat servis filius ipse patrem.
Quod minus in nobis pater invenit ad miserandum,
Suppleat pro nobis unicus [ipse] patris.
15. Quae nos perdidimus, bona restaurantur ab ipso,
Quae reparare patris venerat imperio.
Peccatum factus peccamen tollere venit,
In quem peccatum repere non potuit.
Quod delere scelus non sufficit hostia tanta
20. Aut quibus ad veniam non satis esse queat?
More triumphantis devicto principe mundi
Ad regnum Dominus post sua bella redit.
Captivi comitantur herum, quos eruit ipse
In spoliis referens ampla tropaea suis.

25. Angelici cives et caeli curia regi
 Obvia procedens carmina laeta canit.
 Felix ista dies, tanto praeclara triumpho,
 Dulce Chere resonans audit Hosanna pium.
 Mutua permiscent permixtae carmina turbae,
 30. Hinc canit eruta plebs, inde superna cohors.
 Obvia turba Chere, plebs eruta cantat Hosanna,
 Utraque conveniens pars sibi carmen habet.
 Cum quibus et nostras, quas possumus. accipe laudes,
 Christe triumphator, proelia nostra gerens.
 35. Conditor et rector noster pariterque redemptor,
 Tela beatorum, spes simul atque salus.
 Vade parare tuis loca sursum, vade deorsum,
 Quem promisisti, mittere paraclitum.

Collect. Bridlingtonien. ms. saec. 12/13. Cod. Oxonien. Digby 53. — Abschrift verdanke ich Rev. H. M. Bannister. — 1 statt qua Christus etc. auch: toto venerabilis aevo; dann steht 2 astra statt ipsa. — 3 omnis. — 6 Omni [?] sublimi. — 7 hoc quia [?]. — 14 Supplex [?] pro. — 29 carmina turpe. — 30 plebs mihi [?] superna. — Nach 20 „Partitio“ unter Wiederholung von 1 u. 2.

40. Diebus Dominicis
 a Pascha usque ad Ascensionem.

Ad Processionem.

- Salve, festa dies, felix octava dierum,
 Quam fecit Dominus nomine reque suam.
 Psalmorum primo consignans nomine frontes
 Et titulos decorat nominis huius honor.
 5. Praesens vita dies septem tantummodo novit,
 Post hos octavam vita beata tenet.
 Hi miserae vitae sunt nobis, illa beatae,
 Cuius mysterium continet ista dies.
 Haec mundo mundique dedit primordia luci
 10. Inchoat hic vitae gaudia perpetuae.
 Ipsa resurgentem vitam de morte recepit
 Octavae vere gaudia nacta prior.
 Spiritus adveniens ipsam Christusque resurgens
 Insignem feriis omnibus antefेरunt.
 15. Hanc in ea merito celebrant festando fideles
 Qua requies perpes gaudia summa dedit.
 Summa patri summo pax, eius gloria nato,
 Compar amborum gloria spiritui.

Collect. ms. Bridlingtoniense saec. 12/13. Cod. Oxonien. Digby 53. — 1 statt felix octava etc. auch: toto venerabilis etc. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

41. In Festo Pentecostes.

- | | |
|--|---|
| 1. Aeterna sapientia,
Per quam facta sunt omnia,
Da sapere christicolis
Nectar tuae dulcedinis. | 5. Scientiarum Domino
Tibi sit iubilatio
In nostris cogitatibus,
Te, Christe, non latentibus. |
| 2. Tu singillatim cordium
Finxisti certum numerum,
Quorum solus abscondita
Intellegis concilia. | 6. Tu, bone pastor ovium,
Servans iustum, quaerens reum,
In pascuis uberrimis
Nos iunge gregibus piis. |
| 3. Tu angelus consilii
Crederis antiquissimi,
Quod in nobis verifica
Tua virtute provida. | 7. Ne terror irae iudicis
Nos hoedis iungat foetidis,
Sed simus temet iudice
Oves tuae pascuae. |
| 4. Fortis, potens in proelio,
Tu nostra sis munitio
Adversus daemoniacas
Pugnas atque insidias. | 8. Sit trinitati gloria,
Honor, virtus, victoria,
Regnanti super omnia
Per saeculorum saecula. |

Hymn. ms. S. Mariae Magdal. Claustroneoburgen. saec. 13/14. Cod. Claustroneoburgen. 1001. A. — Brev. ms. Claustroneoburgense saec. 14. in. Cod. Claustroneoburgen. 1200. B. — Hymn. ms. S. Mariae Magdal. Claustroneoburgen. anni 1336. Cod. Claustroneoburgen. 1000. C. — Hymn. ms. S. Mariae Magdal. Claustroneoburgen. saec. 14. Cod. Claustroneoburgen. 996. D. — Hymn. ms. S. Mariae Magdal. Claustroneoburgen. saec. 14. Cod. Claustroneoburgen. 997. E. — Hymn. ms. S. Mariae Magdal. Claustroneoburgen. saec. 14. Cod. Claustroneoburgen. 999. F.

2, 1 sigillatim C. — 2, 2 cervim numerum D. — 3, 3 veridica CD. — 4, 1 et potens BCF. — 5, 3 In terris cogitatibus C. — 6, 1 pastor omnium F. — 7, 3 iudicem BCF. — 7, 4 fehlt eine Silbe. — 8, 4 saecula saeculorum D. — Der Hymnus steht zum Pfingstfeste, obschon er auf dasselbe inhaltlich nirgends Bezug nimmt.

42. In Pentecoste.

Ad Processionem.

Salve, festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua Deus in sanctos affluit igne suos,
Ad nos mitte patris promissum nectar ab astris,
Pneuma, quod emundet crimen et omne lavet.
Servet in exilio nos ipse paraclitus isto,
Soletur, foveat, provehat atque regat.

Process. ms. S. Mariae Magdaleneae saec. 14. Cod. Claustroneoburgen. 995.

43. In Pentecoste.

Ad Processionem.

- Salve, festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua sacer accendit spiritus igne suos.
In nos mitte patris promissum, rector, ab astris
Pneuma, quod emundet crimen et omne lavet;
5. Igne sui roris famulos inflammet, amoris
Flamma quo fidei ferveat atque spei.
Suggerat in nobis vitae praecepta perennis
Consolidans donis nos sine fine suis.
Summa corona tibi, sit doxa coaeva parenti,
10. Sancto spiritui laus deitate pari.

Grad. ms. Sipachcellense saec. 15. Cod. Cremifanen. 190.

44. In Pentecoste.

Ad Processionem.

- Salve, festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua nova de caelo gratia fulsit homo.
Spiritus, ecce, Deus, patri natoque coaevus,
Ignis adest specie discipulis hodie.
5. Sensibus humanis infundit opes deitatis
A patre procedens mystica dona ferens.
Non cessat variis Christi magnalia linguis
Plebs bene docta loqui gentibus omnigenis.
Laus tibi, pneuma sacrum, fons vitae, lux animarum,
10. Omnia vivificans semper et irradians.
Poscimus, omnipotens, terram, mare, sidera replens,
Nos tibi purifica, protege, salvifica.
Pax, decus, omne bonum, dulcis concordia morum,
Reple corda tuo munere mellifuo.
15. Intima divinae da praegustare sophiae,
Quam redolet Cherubim praeclaus ordo Dei.
Nostra pie tangat Seraphim carbunculus ora,
Ut mens perpetuo flagret amore tuo.

Miss. ms. Tornacense saec. 14. Cod. Tornacen. XIII. Daraus Voisin in: Bulletin de la société historique de Tournai VIII (1862), 116 sq. — 14. mellievo. — 16 praecluis, von Voisin geändert in praevious.

45. In Pentecoste.

Ad Processionem.

- Salve, festa dies, quam sanctificavit ab alto
Cordibus infusus spiritus uberior.
Spiritus ipse Dei de summis missus ad ima,
Qui mentes hodie replet apostolicas.
5. Caelitus ignis hic est, quo terras esse cremandas
Pollicitus fuerat Christus ad hoc veniens.
Praeparat has veniens, rediens his admovet illum,
Multiplicem segetem dat bene cultus ager.
Est hic ager mundus, cultores eius [alumni];
10. Spiritus his hodie semina larga dedit.
Istis seminibus tellus sata totius orbis
Frugibus innumeris climata cuncta replet.
Unam Iudaeae terram coluere prophetae,
Cuncta hi proscindunt vomere regna suo.
15. Felix ista dies, qua summus venit ab astris
Spiritus exponens horrea cuncta Dei.
Ex hoc omne bonum sic transmandavit in omnes,
Provocet ad laudes copia tanta boni.
Consummantur in hac aliis incepta diebus,
Et promissa Dei perficit ista dies.

Collect. ms. Bridlingtoniense saec. 12/13. Cod. Oxoniens. Digby. 53. —
Abschrift von H. M. Bannister. — 7 ammoni [?] — 9 fehlt ein Wort; am
Rande: apostoli. — 17 transmandum [?].

46. In Pentecoste.

Ad Processionem.

- Salve, festa dies, quam sanctificavit ab alto
Cordibus infusus spiritus uberior.
Filius in mundum primo fuit a patre missus,
Spiritus amborum nunc ab utrisque venit.
5. Perficit hic veniens, quae sunt incepta per illum,
Supplentur per hunc, quae egerat ille minus.
Verba dedit verbum, sensum affert spiritus horum
Et spirans, ubi vult, et sine voce docens.
Ille repentinus sonus est, quo corda suorum,
10. Ut meminit Lucas, hac docet ipse die.
Omnia qui penetrans habet aequae pervia cuncta,
Intus et exterius praesidet atque regit.

- Membrorum cunctas compages atque medullas
 Discutit et, quae sunt intima, quaeque videt.
15. Ignis hic in sanctis divinus lucet et ardet,
 Cum de doctrinae lumine fervet amor.
 Iste Dei digitus, manus est sed dextera Christus,
 Indicat hic digitus, quae manus illa facit.
 Verba docet verbi, quoniam cum venerit ille,
20. Sugeret hic vobis omnia, Christus ait.
 Corda replet sensu, ditat sermonibus ora,
 Gratia sunt eius omnia, quae bona sunt.
 Omnia dona Dei sunt ipsius, ipse quibus vult,
 Quomodo quandoque vult, omnia distribuit.
25. Auctor cunctorum conservatorque bonorum
 Dedicat in templum corpora nostra suum.
 In quo septeno cor munere consecrat aram
 Ut queat offeri victima grata patri.
 Spiritus est, a quo sunt, qui sunt spirituales,
30. Quique sui templum spirituale facit.
 Hic locus, hic finis est ipso quoque nomine teste
 Qui re se melius sentiat esse suum.

Collect. ms. Bridlingtonien. saec. 12/13. Cod. Oxonien. Digby 53. —
 Abschrift von H. M. Bannister. — Dies Lied bildet in der Hs. mit dem
 vorhergehenden insofern eines, als es ausdrücklich als Partitio des ersteren
 bezeichnet wird und das Ganze die Aufschrift trägt: „In Pentecosten, apud
 paracletum, 50 versus secundum numerum dierum a Pascha“. Es rückt aber
 einen neuen Gedanken so kräftig in den Vordergrund, daß es sich sehr selb-
 ständig präsentiert.

47. De Corpore Christi.

Ad Completorium.

- | | |
|---|--|
| 1. Christus vere noster cibus,
Christus vere noster potus,
Caro Dei vere cibus,
Sanguis Dei vere potus. | 4. Panis iste dulcedinis
Totus plenus est gratiae,
Alvo gestatus virginis
Rex est aeternae gloriae. |
| 2. Caro cara, quam sumimus,
Quam assumpsit de virgine,
Verus sanguis, quem bibimus,
Quem effudit pro homine. | 5. Cuius panis angelici
Saginemur pinguedine,
Et tam pii viatici
Delectemur dulcedine. |
| 3. Vere tali mysterio
Verbum caro comeditur,
Per quod viget religio,
Per quod nobis ingreditur. | 6. O caeleste convivium,
O beatorum gloria,
O requies humilium,
Aeterna confer gaudia. |

7. Praesta pater per filium,
Praesta per alium spiritum,
Quibus hoc das edulium,
Prosperum serves exitum.

Brev. Belovacense imp. Parisiis 1497. A. — Brev. Belovacense imp. Parisiis 1548. B. — 2, 3 quam A. — 3, 4 Per quam B. — 5, 3 Pii et tam viatici A. — 7, 1 Per patrem et per B.

48. De Corpore Christi.

Ad Primam.

- | | |
|--|--|
| 1. Christe, mirabiliter
Quam consecrasti hostiam,
Offerre fac humiliter
In tui nos memoriam. | 2. De pane vitae refice
Tu nos in hoc exsilio,
Quos dignos rite effice
Caelesti nos convivio. |
| 3. Laus tibi, rex mirifice,
Qui in te nunquam deficis,
Impinguans nos munifice
Te ipso pie reficis. | |

Orat. ms. saec. 15. Cod. Labacen. 45. — 1, 1 Lies O Christe oder Rex Christe? — Aus einem Kursus, dessen übrige Hymnen dem Officium des hl. Thomas Aquinas entlehnt sind.

49. De Corpore Christi.

Ad Nonam.

- | | |
|---|--|
| 1. O salutaris hostia,
Quae caeli pandis ostium,
Bella premunt hostilia
Da robur fer auxilium. | 2. Nos, manna verum, suaviter
In hac nutri miseria,
In patria perenniter
Tuo dulcore satia. |
|---|--|

3. Laus tibi, rex mirifice.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Labacen. 45. — Vgl. das zum vorhergehenden Liede Bemerkte.

50. De Corpore Christi.

Ad Processionem.

Salve, festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua nova dat Christus munera christicolis.
Cena paschali ritu typico celebrata
Agnum se verum dans removet typicum.

5. Pro nostro natus scelere tandem moriturus
Certa remedia dat, iam quia non moritur.
Corpus dando cibum verbi virtute sacratum
Sanguinis et gustum contulit in pretium.
Sed sacer hic panis non corporis est alimentum,
10. Mentibus ast sanis dulce ferens epulum.
Frangitur et teritur, sed, si partim minuatur,
Hoc fit in hac forma, cernere quam poteris;
Sed qui signatur et in hoc contentus habetur,
Sub quiscunque velis partibus integer est.
15. Nec, qui plus ceperit, plus de Christo quit habere,
Nec habet ille minus, qui minus acceperit.
Ergo sacramentum, digne, socii, veneremur
Quod digne sumptum nos fovet et reficit.
Laus tibi sit, Christe, cuius pia gratia praestat
20. Digne participes corporis esse tui.
Dum nobis occurrit in morte ferox inimicus,
Sis nobis, Christe, cibus, sis tutor et clipeus
Inque tuo, Christe, bene [functos] corpore siste
Nosque loces cum te perpetua requie.

Process. ms. Oseneiense anni 1288. Cod. Oxonien. Rawlin. N. 939. —
Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

51. In Festo Corporis Christi.

Ad Processionem.

- Salve, festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua Christi corpus turba renata colit.
Terrigenae quique recolent hoc nobile festum
Quod nobis Iesus Christus in orbe sacrat.
5. Omnis plebs hodie veneretur amoreque laude
Patrem, qui nobis manna perenne dedit.
Tempore, quo Moyses deserta per arida duxit
Israelis populum, manna cibavit eum.
Illum qui pastum degustavere, refecti
10. Sunt, sed post omnes esuriere patres
Et cum mundanam defecerunt per eclipsim
Hausit eos veteris carcer opacus Adae.
Istum qui pastum digne gustaverit, ille
Non plus esuriet postea nec sitiet.
15. Illud erat caeli, supra caelum manet istud
Pascens nos manna fomite vivifico.
Manna figuravit deserti manna futuri.
Corpus idem Christi, vera sophia Dei.
Hoc Christi corpus est noster in orbe redemptor,
20. Neumate conceptus, virgine natus erat.

- Postea, cum fuerint ab eo sex lustra peracta,
Mortem pro nobis in cruce sponte tulit.
Manna tribus pavit in deserto duodenas,
Christus bis denos corpore discipulos.
25. Sub specie panis et vini pascimur ipsi
Carne redemptoris atque cruore sacro.
Vertitur in carnem verbo substantia panis,
Per verbum fit ita sanguis usia meri.
Nec debent varia cruor et caro corpora credi,
30. Opus idem Christi sunt cruor atque caro.
Et quamvis discors menti sit visus in hac re,
Ad confirmandum sufficit una fides.
Hinc sacrae fidei qui verbis mente oboedit
Coram verbigena iudice salvus erit.
35. Qui non crediderit hanc esse fidem sacrosanctam,
Perpes in infernum cauma vorabit eum.
Gloria sit patri, sit virtus verbigenaeque,
Sit procedenti par ab utroque salus.

Process. ms. S. Oswaldi (dioec. Eboracen.) saec. 14/15. Cod. Mus. Oxonien.
126. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

52. In Dedicatione Ecclesiae.

1. Sanctificetur dies ista annua,
Qua renovantur gaudia continua,
In qua fundatum Deo sacrificium
Cottidianum praestat beneficium.
A honorem Domini.
2. In hac erectus lapis est in titulum
Totius anni benedicens circulum,
Ut domus ista consecrata caelitus
Sit ad tutelam corporis et spiritus,
Ad honorem Domini.
3. Quam benedixit benedicti gratia
In sempiterna populi solatia
Dans profutura, pellens adversantia
Purificandis cunctis ab infantia
Ad honorem Domini.
4. Aeternitatis dominus et temporum,
Caeli terraeque, aeris et aequorum
Ad confitendum sibi ab hominibus
Elegit domum factam de lapidibus
Ad honorem Domini.

5. Ut quem in caelis novem colunt ordines,
Ipsum in terris venerentur homines,
Et quorum factor unus regit omnia,
Communi voto dent ei praeconia
Ad honorem Domini.
6. Condignus ordo, iusta providentia,
Ut quos praescivit Dei sapientia
Fore concives et unam rem publicam,
Illos uniret in laudem dominicam
Ad honorem Domini.
7. Per Salomonem, per nostrum pacificum,
Traduntur quaeque manibus artificum,
Ligna dolantur et quadrantur lapides
Structurae sanctae civitatis habiles
Ad honorem Domini.
8. Hic fabricatur solida materia
Per sacerdotum sacra ministeria,
Qua consummetur illa summa civitas,
Ubi fit Deus civium felicitas
Ad honorem Domini.
9. Sit ergo dies ista celeberrima,
Qua salvatoris pietas uberrima
Fecit hunc locum sanctum frequentabilem,
Caelestem portam, domum venerabilem
Ad honorem Domini.
10. In quo te, pater, petimus per filium,
Custodi tibi corpora fidelium,
Tuere mentes nostras ab interitu
Vivificandas tuo sancto spiritu
Ad honorem Domini.
11. Conserva locum, funda sanctimonia,
Des postulanda praebens alimonia,
Populum rege faciens unanimen,
Languidum cura protegens incolumem
Ad honorem Domini.
12. In istis ergo fuis ad te precibus
Tu nos exaudi, Deus, et in omnibus,
Cui sit aeterna laus, honor et gloria,
Salus, potestas, virtus et victoria
Ad honorem Domini.

53. In Exsequiis Mortuorum

- Postquam transgressus Domini praeceptum
Adam gustavit pomum interdictum,
Poenam, quam iuste pertulit origo
Damnata, nobis intulit occulta.
5. Licet baptismum mundet nos in culpa,
Tamen antiquo debito pro carnis
Manente vita pauci timent mortem;
Sed cum repente venerit ad finem,
Quos nunc delectant fugitiva saecula,
10. Iniusti iusti fierent, si scirent.
Genus humanum nascitur ad planctum,
Aspere vivens vitam et consumens,
Laeta spernentis, duris adhaerentis,
In hora mortis numine timentis.
15. Christe redemptor, adiuva redemptos,
Quaesumus omnes, aspice misertus,
Animae vitam tribue post mortem
Laeta concede temporaque nostra.
Dominus Christus, Deus adorandus,
20. Laudetur trinus, unus et aeternus.

Rituale ms. Aquilegiense saec 11. ex. Cod. Univ. Bononien. 2679. — Nach je zwei Zeilen wiederholt sich der Rundreim: Quam dure, quam [l.: quando?] spiritus a carne recedit. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

54. In Exsequiis Mortuorum.

- | | |
|---|---|
| 1. Mundi redemptor Domine,
Latroni qui misertus es,
Nunc petimus clementiam
Tuam valde magnificam, | 3. Ubi resultant agmina
Angelorum caelestia,
Cherubim ardentia,
Seraphim altithrona |
| 2. Ut agmina angelica
Huius defuncti animam
In regni tui auream
Introducant aulam. | 4. Cantando tibi cantica
Sedenti patris in dextra,
Quem decantant frequentia
Alta caeli palatia, |
| 5. Angelorum gaudia
Potitura magnifica,
Cum quibus nunc per omnia
Tripudiet per saecula. | |

Brev. ms. Humiliatorum anni 1443. Cod. Vatican. 9217. — Teile von Str. 1 und 2 kehren als Rundreim wieder. Nach Str. 4 folgt noch:

Rex saeculorum, tuorum
Suscipe preces servorum,
Aeternam requiem
Dona ei, Domine.

55. In Exsequiis Mortuorum.

- | | |
|--|--|
| 1. Recordare, Domine,
Quia terra et pulvis sumus,
Ne despicias opus
Manum tuarum. | 4. Ab amara morte
Erue nos, Deus alme,
Parce, iam parce
Tua redemptis cruce. |
| 2. Delicta nostra dele,
Iesu, salvator o pie,
Qui es lux vera, Christe,
Illumina nos tu semper. | 5. Animabus defunctorum
Concede requiem polorum,
Ad gaudia sanctorum
Deduci facias beatorum. |
| 3. O creator ac redemptor,
Creaturae tuae memento,
Plasma tuum defende,
Quem redemisti benigne. | 6. Preces nunc servulorum
Exaudi, rex saeculorum,
Amen dicant astantes,
Eadem sorte mortales. |

Brev. ms. Humiliatorum anni 1443. Cod. Vatican. 9217. — Teile der ersten Strophe kehren abwechselnd als Rundreime wieder.

56. Ad salutandum Episcopum.

- Aurea spes patriae, specimen pietatis opimae,
Salve et nos alacris, semper, adire velis.
Munera parva nimis hand quaquam consona votis
Ecclesiae matris accipe nunc hilaris.
5. Nos tibi praemittit, quem quondam lacte refovit,
Texit et algentem, pavit et esuriem.
Iamque viri super effectum festiva triumphat,
Cuius profectu splendida nata gerit.
Olim te genibus carum nutritivum alumnum,
10. Nunc visura suum nobile praesidium.
Quaeque prius baculi parvum moderamine rexit,
Nunc te pastorem gaudet adesse sibi.
Ecce, sinum pandit, te susceptura fovebit
Inficiens labiis oscula casta tuis.
15. Amplexatur, amat, veneratur, honorat, obumbrat,
Gaudet habere suum pontificale caput.
Hinc, rogo, perpendas, quod matri tale rependas,
Has sibi redde vices, ut pietate colas.
Iamque salutaris tibi victima rediditur aris,
20. Hoc ut idem facias, iam prior ipsa facit.
Foedera bina pari sub religione frequentas,
Inde vocat coniunx, mater et hinc retinet.
Haec pastoris opem, nati haec implorat amorem,
Illam lege, fide, hanc pietate cole.

25. Versibus his, praesul te nutrix fide salutans
 Deposcit vultum laeta videre tuum.
 Personis trinum Dominum, deitate sed unum,
 Omnes oramus, quo tibi longa salus
 Assit, et ut vitae fungaris sorte beatae
30. Praevius et ducas pastor ad alta gregem.
 Sidera, clara prius, vestro adventante decore
 Splendidius multo fulta nitore micant.
 Mentibus, ecce, suis gaudens locus ipse resultat,
 Se gaudere probat, quis valet, indiciis.
35. Astant, ecce, patres votiva precamina dantes,
 Et te corde pio quisque beare cupit.
 Insuper et populus vos, praesul, visere laetus
 Urget ad optatas vos superesse preces.

Grad. ms. Mindense saec. 11. in. Cod. Berolinen. IV^o 11. add. saec. 12. —
 Vers 1 und 2 kehren abwechselnd nach je zwei Distichen als Rndreim
 wieder.

57. Pro Duce Venetiarum.

- | | |
|---|---|
| 1. Ducalis sedes inclita
Es Venetorum praedita
NN duce, quo supera
Locaris inter sidera. | 5. O sancte Marce, praesidem
Nunquam videbis
.
. |
| 2. Hoc duce tuta permanes,
Hostes hoc duce perimes,
Hoc duce ad alta venies,
Tibi cuncta subicies. | 6. Veneti
Tibi tenemur debiti,
Quod noster dux est genitus
De te, princeps magnificus. |
| 3. Voto precamur sedulo,
Diu consistas solio,
Longo vivat imperio
Excelso Iove praevio. | 7. O Christe, grates agimus
Tibique vota solvimus,
Qui nos dotasti praeduce
Tanto rectore consule. |
| 4. Laetare, festa, iubila,
Senatus et plebs Veneta,
NN sub alis condita
Nunquam videbis nubila. | 8. Hunc nobis serva incolumem
Ducatus nostri columen,
Quo stante tuti stabimus
Et nil adversi dabimus. |
| 9. O sancte Marce, praesidem
Ad usque terae limitem
NN praefer dominio,
Nunquam vincatur proelio. | |

58. De Conceptione Beatae MV.

In 2. Vesperis.

- | | |
|--|--|
| 1. Gaude, mater ecclesia,
Voce perennis gaudii,
En, agitur memoria
Sacri conceptus lilii. | 5. Anna, radix generosa,
Tanto fecunda germine,
Benedictaque leprosa
Mundatur rubigine. |
| 2. Ex spinis ortum lilium
Solo creatur sterili
Et intra ventris gremium
Purgatur culpa flebili. | 6. O quam felix conceptio
Virgae florentis caelitus,
Qua luctus cedit gaudio,
Redditur vita spiritus. |
| 3. O admiranda novitas
Conceptionis virginis,
Per quam tergitur foeditas
Originalis criminis. | 7. Haec in luce primaria
Figuratur, sed typice,
Quae a tenebris gaudia
Separavit mirifice. |
| 4. Nata nova nova prole
Nova confert remedia,
Stella nova novo sole
Nova generat gaudia. | 8. Laus, honor sit ingenito,
Salus, virtus, victoria,
Sit eius unigenito,
Sacro flatui gloria. |

Brev. ms. Senoniense (Clandii Iacquot de Chaimoniis) anni 1577 — 1580.
Cod. Spinalien. 161 (76). — 4, 1 Nato. — 4, 3 nova sole.

59. In Conceptione BMV.

Ad Matutinum.

- | | |
|--|--|
| 1. Pange, lingua, gloriosi
Conceptus praeconia,
Cuius fructus speciosi
Agitur memoria,
Per quam status gaudiosi
Nobis dantur praemia. | 3. O quam sanctum ventris onus
Annae, matris virginis,
Quam suavis et quam bonus
Fructus talis feminis,
Quo caeli repletur chorus,
Labe pulsa criminis. |
| 2. Regia domus accepta
Fonti sapientiae,
Qui ventris intravit saepta
Virginis eximiae,
Arido ventre concepta
Praedicatur hodie. | 4. Nutu Dei pendet rosa
Sterili rosario,
Labe purgata leprosa
Ventris in stercidio,
Rubigine nunquam rosa
Vel letali vitio. |

5. A defunctis relevatur
Per conceptum virginis,
Qui a morte tenebatur
Culpa primi hominis,
Sacris coronis aptatur
Sursum regno luminis.

6. Germine sata regali
Rosa, verni primula,
Necnon et pontificali
Florens Iesse virgula,
Per quam mundus morsus mali
Evasit pericula.

7. A prophetis praesignatur
Annae proles inclita,
Per quam cunctis salus datur,
Dantur vitae merita,
Summa sedes reparatur
Morsu pomi perdita.

8. Laudes ergo personemus
Huic sacro germi-
ni,
Ore, voto collaudemus
Vas decorum Domini,
Ut ab ipso reportemus
Vitam iuncti numini.

9. Gloria sit Deo quoque,
Virtus et imperium,
Una patri filioque
Sit perenne gaudium,
Procedenti ab utroque
Laus et decus nimium.

Brev. ms. Senoniense (Claudii Iacquot de Chaimoniis) anni 1577—1580.
Cod. Spinalien. 161 (76). — 2, 1 Regia donis. — 2, 3 ventris ravit cepta. —
4, 4 in stercicio.

60. De Conceptione Beatae MV.

Ad Laudes.

1. Praesens dies expendatur
In eius praeconium,
Cuius conceptus laudatur
Salutis initium
Et a mundo memoratur
In caelorum gaudium.

2. Dies, praeco dulcis ortus,
Celebratur hodie,
Mariae, quae fuit portus
Salutis et gratiae
Et deliciarum hortus,
Rore plenus gloriae.

3. Ergo laudes in hac die
Concinat ecclesia,
Qua mater sacrae sophiae
Inspirante gratia
Concipitur, huius viae
Perdux stella praevia.

4. Haec est nova genitura,
Quae novum dat gaudium,
Dum factorem creatura
Traxit ad conubium,
Quo mors morte peritura
Virtutis dat praemium.

5. Virga florem conceptura
Dono sancti spiritus,
Stella solem paritura,
Quo Vae patet exitus,
Annae ventris intrat rura,
Mundo datur caelitus.

6. Hanc perfudit ros novellus,
Intra carnis horrea
Maduit ut quondam vellus,
Sicca tamen area,
Cum concepit dote tellus
Manente virginea.

7. Columba, quae adportavit
Ore virens lilium,
Per quam Christus mitigavit
Inundans diluvium,
Haec est virgo, quae lactavit
Portans Dei filium.

8. Rectori hierarchiarum
Laus, honor sit simplici,
Qui numero personarum
Distinguitur triplici,
Vultu et gloria quarum
Mereamur refici.

Brev. ms. Senoniense (Claudii Iacquot de Chaimoniis) anni 1577 — 1580.
Cod. Spinalien. 161 (76). — 4, 1 est fehlt. — 7, 5 est fehlt.

61. In Conceptione Beatae MV.

In 1. Vesperis.

1. Conceptus almae virginis
Mariae novi luminis
Est omnibus initium
Dans salutis remedium.

3. Ergo tu, quae conciperis,
Impetra nos a crimine
Abstergi culpae veteris
A veri solis lumine.

2. Concepta fuit hodie
Causa misericordiae,
De qua Christus iustitiae
Sol ortus est et veniae.

4. Laus, honor et sublimitas
Tibi sint, vera unitas,
In unitate trinitas
Per omnes mundi semitas.

Brev. Aurelianense imp. s. l. et a. [1510].

62. In Conceptione Beatae MV.

Ad Matutinum.

1. Annuntiatur caelitus
Haec Mariae conceptio,
Per quam exspirat penitus
Peccati subiugatio.

3. Dum auream ingreditur
Ioachim portam, obviae
Gaudens uxori redditur,
Annae cessant angustiae.

2. Pater, qui desperaverat,
Quia Deus non dederat
Fructum, reedit ad propria
Conceptionis gratia.

4. Laus, honor et sublimitas
Tibi sint, vera unitas,
In unitate trinitas,
Per omnes mundi semitas.

Brev. Aurelianense imp. s. l. et a. [1510].

63. In Conceptione Beatae MV.

Ad Laudes.

1. Per terram Israel tonat
Dans fama vocis gaudium,
Adfinium laus resonat
In conceptae praeconium.

2. Nos gaudeamus etiam
Ad summi patris gloriam,
Qui per conceptae gratiam
Laetificat ecclesiam.

- | | |
|--|---|
| 3. Pax detur, salus omnibus
Tam excellentis dominae
Conceptum celebrantibus
A suae prolis numine. | 4. Laus, honor et sublimitas
Tibi sint, vera unitas,
In unitate trinitas,
Per omnes mundi semitas. |
|--|---|

Brev. Aurelianense imp. s. l. et a. [1510].

64. In Nativitata BMV.

1. Fulgent magna sacrae festa Mariae,
Huius quae revocat meta diei,
In qua virgo pia luminis ortum
Toto perpetui protulit orbi.
2. Felix ista dies munere tanto,
Natalis celebri clara decore,
Quae dat principium virginis alnum,
Cunctis unde salus constat opima.
3. Iam nunc quis taceat promere laudes,
Ut puro valeat corde precari
Huius se precibus auxiliari,
Per quam mundus ovat auspice Christo.
4. Haec est, unde sacer mystice vates
Olim sic cecinit mente sagaci,
Venturum siquidem praescius aevi
Sanctum virga dicit Iessea florem.
5. Salve, christigena, virgo venusta,
Salve, conspicuo germine fusa,
Salve, gemma nitens, regia proles,
Salve, post genitum forma pudoris.
6. Nunc, mater, precibus adnue nostris,
Devotas populi suscipe laudes,
Ut grato famuli munere fulti
Salvet iugiter nos gratia nati.

Collect. ms. S. Vincentii Meten. saec. 10/11. Cod. Berolinen. Phillipp.
1723. add. saec. 11.

65. In Annuntiatione BMV.

- | | |
|---|---|
| 1. Mysterium a saeculis
Absconditum in oculis
Apparuit fidelium
Per Gabrielem nuntium. | 2. Verbum ignotum homini
Annuntiatur virgini,
De verbi ignorantia
Turbatur plena gratia. |
|---|---|

- | | |
|---|--|
| <p>3. Caelestis aulae nuntius
Tristem solatur citius:
Benedicta, ne timeas,
Quae habes, unde gaudeas.</p> | <p>5. Ligatus iste sanitas,
Per quem nostra infirmitas
Sanetur, ut caelestium
Assequamur consortium.</p> |
| <p>4. Ecce, virgo concipies
Et virgo manens paries
Deum et Dei filium
Ac redemptorem gentium.</p> | <p>6. Gloria tibi, Domine,
Qui filium pro homine
Dedisti sacro flamine
Conceptum et de virgine.</p> |

Diurn. et hymn. ms. Benedict. Suecic. saec. 15. Cod. Upsalen. C 477. —
4, 2 manes. — Bei Klemming II, 157 sq. irrthümlich als Sequenz bezeichnet.

66. In Visitatione BMV.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Figurarum iam detectum
Antiquarum est velum,
Zacharias dum sub tectum
Pacis sumpsit angelum,
Causans Sarae risum pium
Scultantis post ostium.</p> | <p>3. Sponsus tuus regens caelos
Praestolatur, domina,
Relevatos ut anhelos
A peccati sarcina
Ad se ducat nos camelos
Portantes aromata.</p> |
| <p>2. En, Rebecca cum camelis
Servum foveat Abrahae,
Anna, mater Samuelis,
Parens fit ex sterile,
Typus patet Gabrielis
Verborum ex serie.</p> | <p>4. Gloria sit, Iesu pie,
Tibi nunc et iugiter,
Visitanti Zachariae
Domum personaliter,
Fac nos te, fili Mariae,
Frui aeternaliter.</p> |

Diurn. et hymn. Benedictin. Suecic. saec. 15. Cod. Upsalen. C 477. —
1, 6 Sculptantis; scultantis statt auscultantis. — 3, 2 Praestolator. — Dieser
Hymnus fehlt bei Klemming.

67. In Visitatione BMV.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Hymnum Deo modulatur
Puella dulcissimum
Dum ad tanta sublimatur
Pro salute hominum,
Magnipendens, quod narratur,
Magnificat Dominum.</p> | <p>3. Magna fecit Deus ei,
Quia potens nomine,
Miseretur enim rei,
Si timor in homine,
Proprium est enim Dei
In omni progenie.</p> |
| <p>2. Est in Deo sua rata
[Dulcis visitatio],
[Sua] nam considerata
Est humiliatio;
O quam dicet „Haec beata“
Omnis generatio!</p> | <p>4. Sede iecit vanos, fecit
Altos dextra divites,
Imos levat et refecit
Quos vexat esuries,
In promissis et profecit
Antiqua progenies.</p> |

5. Gloria sit, Iesu pie,
 Tibi nunc et iugiter,
 Visitanti Zachariae
 Domum personaliter,
 Fac nos te, fili Mariae,
 Frui aeternaliter.

Diurn. et hymn. ms. Benedictin. Suecic. saec. 15. Cod. Upsalen. C 477. —
 1, 5 Magnipendent. — 3, 4 Sed timor in. — 4, 1 Suo iecit. — 4, 2 Auch
 Altos muß ein Verschreiben sein; man erwartet ein Synonym für inanes;
 lies *paevos*? — 4, 4 *fexat*. — Aus derselben Quelle Klemming II, 152. Der-
 selbe bezeichnet irrtümlich die HS. als Missale, das Lied als Sequenz und
 liest: 1, 2 *dulcissima*. — 1, 5 *Magnipendat*. — 4, 4 *ferat*.

68. In Visitatione BMV.

- | | |
|---|---|
| 1. Maria, mater Domini,
In laudem tuo nomini,
Elisabeth dum visitas,
Vates dat laudes debitas. | 4. Deus et homo nascitur,
Quo totus mundus pascitur,
Qui est salvator gentium
Et vera spes credentium. |
| 2. Deum de Deo genitum
Portasti primogenitum,
Cuius novit exordium
Vates, scrutator cordium. | 5. Illum, quem virgo gesserat,
Vati clauso impresserat,
Ut nullum habens vitium
Pacis sciret initium. |
| 3. Caelum terramque qui regit,
In te carnem sibi legit,
Qui praecursori placuit,
In tuo ventre iacuit. | 6. Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine,
Patri simul ingenito
Cum spiritu paraclito. |

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — Am Rande:
 sub eadem nota, nämlich wie das vorhergehende O Christi mater
 caelica.

69. In Visitatione BMV.

- | | |
|--|---|
| 1. Mundi salus affutura,
Virgo mater inclita,
Gestu simplex, mente pura,
Specie praeifulgida,
Cum caelesti genitura
Processit in publica. | 3. Genetrix Emmanuelis
Virga Iesse floruit,
Ostium Ezechielis,
Quod viro non patuit,
Mons, quo lapis Danielis
Statuam comminuit. |
| 2. Caput conterens draconis,
Rubus, qui non uritur,
Aaron virga, Gedeonis
Vellus, quod perfunditur,
Haec perfecta Salomonis,
O beata dicitur. | 4. Sic in mundo praeter morem
Novum fecit Dominus,
Castis mater conditorem
Circumdat visceribus,
Terra gignit salvatorem
Nubibus pluentibus. |

5. Virgo cara, caritatis
Fervens desiderio,
Castae consanguinitatis
Fovet ministerio,
Gaudens huius novitatis
Sancto puerperio.

6. Felix domus Zachariae
Talem habens hospitem,
Felix cognata Mariae,
Quam suscepit comitem,
Sed Iohannis et Messiae
Tu distingue limitem.

7. Laus sit summo genitori,
Qui regnat per omnia,
Laus sit nostro redemptori,
Per quem venit gratia,
Procedenti creatori
Sit aequalis gloria.

Hymnorum opusculum ad usum insignis ecclesiae Sarum imp. Ant-
werpiae 1512. — 5, 3 Casti. — 7, 6 In aequalis.

70. In Visitatione BMV.

Ad Laudes

1. Verbum a patre prodiens
In novissimo tempore
Servi formam accipiens
Mortali sumpsit corpore.

4. Miles suo tripudio
Regem salutare gliscit,
Clauso clausus in gaudio,
Matri mater benedixit.

2. Statim ut virgo concepit
Hunc ad hoc praedestinata,
Gabriel affari coepit
Hanc instruens de cognata.

5. O grata visitatio
Et melliflua oscula!
O laeta salutatio
Celebranda per saecula!

3. Ad montana tunc adiens
Visitavit Elisabeth
Per tres menses, hinc rediens
Reversa est in Nazareth.

6. Uni trinoque Domino
Sit decus et imperium,
Qui vitam sine termino
Nobis donet et praemium.

Brev. ms. Caelestinorum saec. 15. Cod. Sangallen. 500.

71. In Visitatione BMV.

1. Praeconium dulcissimum
Puris canamus cordibus,
(Quod) melos sit audientibus
Vitamque nobis tribuat.

2. Hic est dies, in quo virgo,
Cum caelos rediit Gabriel,
In montem venit ocus
Ad salutandam Elisabeth.

- | | |
|--|--|
| 3. Intrans domum Zachariae
Salutat virgo veterem,
Quam parituram noverat
Praecursorem altissimi. | 7. Mariam sui domini
Matrem beatam memorans
Verba profert angelica,
Completa, quae praedicta sunt. |
| 4. Almo repleti spiritu
Gaudet mater cum filio,
Maria dum os aperit,
Ambo sunt docti pariter. | 8. O quam mirandum saeculo,
Quod haec sciens fit praescia,
Recoleret praeterita
Futuraque praenosceret. |
| 5. Senex agnovit virginem
Deum gestare in utero,
Fructus, qui ventre clausus est,
Caeli cognovit dominum. | 9. Tunc licuit charismata
Mariae data pandere
Et hymnum hinc Magnificat
Devote Deo promere. |
| 6. Unde mihi [quod] veniat
Ad me mis mater domini,
Inquit tunc Elisabeth
Sensum habens propheticum. | 10. Uni trinoque Domino
Sit sempiterna gloria,
Qui nos visitet hodie
Nec non per cuncta saecula. |

Brev. ms. Ambrosianum saec. 15. Cod. Borgian. M II 20. — 9, 2 Maria.

72. In Visitatione BMV.

Ad Matutinum.

- | | |
|---|---|
| 1. Mariae vox ut sonuit
Elisabeth in auribus,
Ipsam fore matrem Dei,
Revelat sibi spiritus. | 3. Benedictus quoque tui
Fructus ventris virginei;
Unde hoc, ut ad me venias
Tu, mater domini mei? |
| 2. Et clamat voce valida
Cognata: Benedicta tu
Inter omnes mulieres,
Plenior sancto spiritu; | 4. Ex quo virtus vocis tuae
Meum pulsavit uterum,
Ad exsultandum Domino
Meum mox movit filium. |

5. Maria, mater gratiae etc.

Brev. Bituricense imp. Venetiis 1481. A. — Brev. Lemovicense imp. Lemovicis 1495. B. — Brev. Bituricense imp. Lemovicis 1512. C. — 1, 3 foret A. — 3, 3 sq. Ut venias tu ad me mater A. — 4, 4 novit C. — In B In secundis Vesperis.

73. In Visitatione BMV.

Ad Vesperas.

- | | |
|--|---|
| 1. Dum patrum expectatio
Clamat Messiam sitiens,
Mundi venit redemptio
De sinu patris saliens. | 5. O virgo Iesse florida,
Fructum salutis pariens,
Stella Iacob praeifulgida,
In lucem nostram oriens! |
| 2. Lux spirat verni temporis,
De virga flos concipitur,
Puer perfecti corporis
Ventre Mariae clauditur. | 6. Maria, surge, propera,
Veni cum tuo filio,
Procede, regnans impera,
Defende nos in proelio. |
| 3. Pascha novum iam celebrans
Virgo transit a Nazareth,
Ad altiora properans,
Salutet ut Elisabeth. | 7. Saluta nunc ecclesiam,
Ut tuam vocem audiens
Exsurgat in laetitia,
Adventum Christi sentiens. |
| 4. Mariae salutatio
Cognatam quando visitat,
Iohannem in mysterio
In novum plausum excitat. | 8. O Iesu, per miracula
Tuam matrem clarifica,
Ut cuncta noscant saecula
Eius gesta mirifica. |
| 9. Veni, puer, alliciens
Ad tuum nos cenaculum,
Ut tua mater transiens
Ministret vitae poculum. | |

Brev. Arosiense imp. Basileae 1513. — Vgl. Klemming II, 164 ff.

74. In Visitatione BMV.

Ad Nocturnum.

- | | |
|--|---|
| 1. Sub medio silentio
Dum mundus gaudens otio
In tenebrarum filiis
Fovebatur in vitiis, | 3. Gaudet virgo concipiens,
Quem Gabriel praedixerat,
Quem matris alvo gestiens
Clausus Iohannes senserat. |
| 2. Superni solis radius,
Aeterni patris filius,
Ad effugandas tenebras
Carnis subivit latebras. | 4. Indutus carnis trabea
Exit claustra virginea,
Nudus iacens in pulvere
Venit flores colligere. |

- | | |
|--|--|
| <p>5. O quam magnum mysterium,
Ante bovem et asinum
Virgo ponebat filium,
Caeli terraeque Dominum.</p> | <p>7. Maria, stella gentium,
Super astra splendidior,
Duc nos ad tuum filium,
Qui sole fulget clarior.</p> |
| <p>6. Videbant animalia
Illum, qui lux est saeculi,
In cuius lucis gloria
Utrique currunt populi.</p> | <p>8. Domum, portam et tumulum,
Virgo cum nato visita,
Natum ex Eva populum
A somno mortis excita.</p> |

9. Gloria tibi, Domine.

Brev. Arosiense imp. Basileae 1513. — Vgl. Klemming II, 166.

75. In Visitatione BMV.

Ad Laudes.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Aurora fulgens radiat,
Per quam sol terris oritur,
Virgo laeta tripudiat,
Dum Christus ex hac nascitur.</p> | <p>6. Vestis materna rutilat
Contexta discoloribus,
Cor tuum, virgo, iubilat
Pro filiorum laudibus.</p> |
| <p>2. Veni, o mater inclita,
Cum sancti flatus munere,
Nos ut Iohannem visita
In huius carnis carcere.</p> | <p>7. Scissuram tuae tunicae
Tuus natus resarciat,
Unus pastor catholice
Suam sponsam custodiat.</p> |
| <p>3. Procede portans parvulum,
Ut mundus possit credere
Et tuae laudis titulum
Omnes sciant extollere.</p> | <p>8. Aufer lites et schismata
Credientium de finibus,
Tranquillae pacis sabbata
Nostris praebe temporibus.</p> |
| <p>4. Reginae caeli tunicam,
Omnes gentes, consuete,
Hanc matrem Christi unicum
Immaculatam credite.</p> | <p>9. A filiorum cordibus
Pelle frigus acidiae,
Nudos tege cum vestibus
Honestatis et gratiae.</p> |
| <p>5. Maria, leva oculos,
Vide credentes populos,
Te quaerunt piis mentibus,
His vestieris omnibus.</p> | <p>10. O verae spes laetitiae,
Nostrae finis miseriae,
Nos iunge caeli curiae
Ornatos stola gloriae.</p> |

11. Gloria tibi, Domine.

Brev. Arosiense imp. Basileae 1513. — Vgl. Klemming II, 173 ff.

76. In Visitatione BMV.

Ad Horas.

- | | |
|---|--|
| 1. Effundet nobis domina
Vires plangendi crimina,
Ut servivit Elisabeth,
Mentem humanam visitet. | 2. Ergo, pater piissime
Verbumque, iudex animae,
Cum spiritus charismate
Ad caelos omnes trahite. |
|---|--|

Brev. ms. Humiliatarum ad S. Erasmi Mediolanen. saec. 15. Cod. Ambrosian. I 197 inf. — Diese zwei Strophen sind kein selbständiger Hymnus, sondern anzuhängen an die Hymni communes ad parvas horas. „Et notandum, quod ad omnes horas diei hymnorum ferialium relicto ultimo versu dicantur isti duo versus sequentes.“ Hs. (Fell.)

77. In Purificatione BMV.

- | | |
|---|---|
| 1. Sol de stella purissima,
Stilla mellis dulcissima
Ex regali progenie
Processit matre virgine, | 5. Iesu clemens, matrem audi,
Mater bona, nos exaudi,
Potes enim ut regina
Caeli pandere limina. |
| 2. Homo Deus, Christus Iesus,
A prophetis prophetatus,
A regibus adoratus
Cum Maria matre eius. | 6. Templum munda tu intrasti,
Deum patrem tu placasti,
Mundum clare illustrasti,
Dum obtulisti filium. |
| 3. Profert rubus virens rogam,
Virgultum marcidum fructum,
Siccum vellus undam mundam,
Porta semper clausa viam, | 7. Florens rosa cum lilio,
Virgo mater cum ilio,
Serva nos in exsilio
Vitiorum a lolio. |
| 4. Stella matutina solem,
Maria praeclara prolem,
Virgo excellentissima,
Super omnes sanctissima. | 8. Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula. |

Orat. ms. S. Petri Salisburgen. saec. 16. Cod. Petrin. a III 20; bezeichnet als „hymnus“.

78. De Beata Maria V.

Tempore Quadragesimali.

Ad Vesperas.

- | | |
|--|--|
| 1. Gloriosa mater Dei,
honor nostri generis,
Decus orbis, spes piorum,
peccatorum venia,
Nostrae laudis sume vota,
dele nostra crimina. | 4. Summum caeli decus tuum
esse natum novimus,
Eius ergo maiestati
nostros offer gemitus
Atque piaie visioni
nos praesenta caelitus. |
| 2. Clara caeli tenes sceptrum
prope natum posita,
Super choros angelorum
habens privilegia,
Unde memor esto nostri,
virgo benignissima. | 5. Clara virgo, quae fugasti
matris Evae tenebras,
Pia mater, quam honorat
Dei patris pietas,
Ad videndum tuum natum
nobis viam praepara. |
| 3. Hinc averte, quod timemus,
quod optamus, perface,
Hinc te mundus protectricem
sentiat assidue,
Pia mater, sublevemur
illuc tuo munere. | 6. Sint tonanti laudes patri,
nato et paraclito,
Sit perennis honor matri,
decus atque gloria,
De qua nobis Christus natus
vitam dedit saeculo. |

Brev. Ecclesiarum Claromontis atque S. Flori imp. Tierni [1556]. —
1, 2 und 6, 4 fehlt auffallenderweise der Reim.

79. In Compassione BMV.

Ad Vesperas.

- | | |
|---|---|
| 1. Mentis iuvet fidelium
Dolores et suspirium
Matris Christi revolvitur
Cum gratiarum munere. | 3. Tantum sibi compatitur,
Quod fere secum moritur,
Nullus dolor amarior,
Nam nulla proles carior. |
| 2. Castae parentis viscera
Poena torquentur aspera,
Dum staret sub supplicio
Languens pro dulci filio. | 4. O quam praedigni rivuli
In cruce Christi sanguinis
Et, quos fuderunt oculi
Sub cruce matris virginis. |

5. Sic corda nostra penetret
Iesu matris compassio,
Ut semper nos inhabitet
Eius vera dilectio.

6. Gloria tibi, Domine,
Qui passus es pro homine,
Cum patre et sancto spiritu
In saecula saeculorum.

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. 14/15. Cod. Dresden. A 182. A. — Brev. Stregnese imp. Holmiae 1495. B. — 5, 2 O Iesu, tua passio B. — 5, 4 Tua matris dilectio B. — Vgl. Anal. XII, 66.

80. In Compassione BMV.

Ad Nocturnum.

1. Rogatus Deus rumpere
Caelos et huc descendere
Nobis venit in virgine
Nos redimens a crimine.

3. Haec virgo vidit filio
Parari cum ludibrio,
Qui caritate venerat
Salvare, quod perierat.

2. Sputa, flagella, lancea,
Minae, corona, spinea,
Clavi, probra, crux, verbera,
Fel, vincla, mors et vulnera,

4. Patibulo suspenditur,
Latronibus coniungitur,
A cunctis fere spernitur,
Sic desolatus moritur.

5. Sic corda nostra etc.

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. 14/15. Cod. Dresden. A 182. A. — Brev. Stregnese imp. Holmiae 1495. B.

81. In Compassione BMV.

Ad Laudes.

1. Condolentes maeroribus
Mariae matris virginis
Iungamus laudes fletibus
Ad laudem sui nominis.

3. Matrem piam discipulo,
Patri commendat spiritum,
Aceti sumpto poculo
Carnis exsolvit debitum.

2. Pensemus, quid perpenderet
Astans cruci puerpera,
Dum testamentum conderet
Christus in vitae vespera.

4. Postremo vidit elici
De fossi fonte lateris
Cruorem mixtum latici
Pro redimendis miseris.

5. Sic corda nostra etc.

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. 14/15. Cod. Dresden. A 182. A. — Brev. Stregnese imp. Holmiae 1495. B. — Vgl. Anal. XII, 68.

82. In Compassione BMV.

Ad Vesperas.

1. O quis videret animam dolore
Gemere tuam cultro circumfossam,
Saxea corda minime non possent
Compati tibi.
2. Monte dum vides ortum vitae mori,
Quantus doloris gladius pertransit,
Animam [tuam], redemptoris mater,
Clemens et pia.
3. Corporis nati latusque cruentum,
Sanguinis fluxum, derisorum verba,
Caput depressum, spinis circumfusum,
Lacrimas fundens.
4. Lumina mortis tenebris eversa,
Felle potato ore sitibundo
Mortis dolore vexarique cunctos
Corporis artus.
5. Sanguinis undam terram deglutire,
Color pallescit capite demisso,
Pater dimitte me crucifigentes,
Vides clamantem.
6. Ave dum audis Gabrielis ore,
Gaudio plena resonas in laude,
Nunc ex adverso maerore confecta
Defles amare.
7. Audit Iohannes: ecce, mater tua,
Tu quoque audis: ecce, natus tuus;
Magna de cruce spiritum emittit
Voce prorumpens.
8. Te deprecante vincula dirumpat,
Abluat sordes, donet caritatem,
Aures ad nostras deitatis preces
Deus inclinet.
9. O pater, fili et spiritus sancte,
Da nobis matris natique dolores
Pie deflere fruique cum ipsis
Gloria tua.

83. In Compassione BMV.

Ad Nocturnum.

- | | |
|--|--|
| 1. Pange, lingua, gloriosae
virginis angustiam
Lacrimasque venerandas
et cordis maestitiam,
Quas eidem ipsa passus
vertit in laetitiam. | 3. O vos omnes, qui transitis
per viam huius saeculi,
Attendatis subsistentes
inermis pauperculi
Regisque latus cruentum
ictu saevi iaculi. |
| 2. Verbum sancti Simeonis
commendat memoriae,
Signum contradictionis
fore regem gloriae,
Gladium transfixionis,
quod impletur hodie. | 4. Mater sentit, quod non sentit
caro iam exanimis,
Vulnus lateris manantis
undam atque sanguinem
Lavacrumque lavans mundum
instar vivi fluminis. |
5. Gloriam patri melodis
personemus vocibus,
Gloriam Christo canamus,
gloriam paraclito
In transfixo virginali
corde Christi gladio.

Propr. ms. Conimbricense saec. 16/17. Cod. Vatican. 6283.

84. In Compassione BMV.

Ad Laudes.

- | | |
|--|---|
| 1. O lacrimosa domina,
Excelsa super sidera,
Quae moriente filio
Palles doloris gladio. | 3. Tu regis alti ianua,
Cum reseratur lancea,
Levando flentes oculos
Intrasti prima merito. |
| 2. Quod Eva tristis abstulit,
Tu reddis almo germine,
Ipsa deglutit scelere,
Tu sine culpa pateris. | 4. Maria, mater gratiae,
Cultro sanctae maestitiae
Tu nos ab hoste protege
Et hora mortis suscipe. |
5. Gloria tibi, Domine,
Defuncto coram virgine,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Propr. ms. Conimbricense saec. 16/17. Cod. Vatican. 6283.

85. In Transfixione Beatae MV.

In Laudibus.

- | | |
|---|--|
| 1. O gloriosa domina,
Transfixa tua viscera,
Nunc facias propitium
Iesum salutem omnium. | 3. Tu crucis dura brachia
Et vulnerum foramina
Vidisti vere pavide;
Gentes astantes, plangite! |
| 2. Quod iustus olim cecinit
In templo, tunc non deficit,
Tua pertingens intima
Dum cernis spata horrida. | 4. Gloria tibi, Domine,
Matrem qui vides nitide,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula. |

Brev. ms. Franciscan. Hispan. saec. 15. ex. Cod. Parisin. 1064. A. —
Brev. Vicense imp. Lugduni 1557. B.

86. In festo B. Mariae Pietatis.

Ad Vesp. et Noct.

- | | |
|--|---|
| 1. Chorus sonoris vocibus
Pangat dolores virginis,
Iuxta crucem quos pertulit
Mucrone mentis saucia. | 5. Mater silet doloribus
Repleta nec fari potest,
Dat lacrimas cum fletibus,
Gestus habens laudabiles. |
| 2. Stans ad crucem mater Dei
Tristatur angore gravi,
Pati volens angustiam
Cum filio dignissimo. | 6. Ergo decet tam mysticum
Exemplar imis sensibus
In mente firma condere;
Quare rogemus supplices: |
| 3. Tristans ait tunc filius
Fixus cruci durissime:
Pro filio trado Dei
Natum tibi Zebedaei. | 7. Maria, lacrimis tuis
Fac, nos lavemur sordibus,
Ut post dies vitae brevis
Laetemur in caelestibus |
| 4. O quanta commutatio
Et quanta fit diversitas,
Dum traditur domesticus,
Et perditur verus Deus. | 8. O crux, ave, spes unica,
Hoc passionis tempore,
Auge piis iustitiam
Reisque dona veniam. |
| 9. Te, summa Deus trinitatis,
Collaudet omnis spiritus,
Quos per crucis mysterium
Salvas, rege per saecula. | |

Brev. Xantonense imp. Pictavii 1542. — 4, 2 sit. — 6, 2 inris sensibus. —

87. In festo B. Mariae Pietatis.

In Laudibus.

- | | |
|--|---|
| 1. Flexo genu, zelo pio
Hoc passionis tempore
Matris celebremus Dei
Compassionis lacrimas. | 5. Vates probus cognoverat
Doctus superno lumine,
Quod filius tuus suo
Nos liberaret sanguine. |
| 2. Iam Simeon praedixerat
Sancto repletus flamine,
Dum te beatam plurimum,
O gloriosa, diceret, | 6. Ergo decet tam mysticum
Exemplar imis sensibus
In mente firma condere;
Quare rogemus supplices: |
| 3. Gnatum tuum pignus fore
Nostrae salutis et viam,
Qua scanderemus caelicam
Anfractibus motis domum. | 7. Maria, lacrimis tuis
Fac nos lavemur sordibus,
Ut post dies vitae brevis
Laetemur in caelestibus. |
| 4. Hic in ruinam perfidis
Tangentibus quam ceteris,
Post hac tuum sed spiritum
Esis doloris transiet. | 8. O crux, ave, spes unita,
Hoc passionis tempore,
Ange piis iustitiam
Reisque dona veniam. |

9. Te, summa Deus trinitas.

Brev. Xantonense imp. Pictavii 1542.

88. In Assumptione BMV.

- | | |
|--|--|
| 1. Maria, virgo virginum,
Quae genuisti Dominum
Sine virili semine,
Verum lumen de lumine. | 3. Largire nobis omnibus
Ad te confugientibus
Per tui nati gratiam
Aeternitatis gloriam. |
| 2. Tu sola vitae ianua,
Tibi sit laus assidua,
Virtus, decus continuum,
Imperium perpetuum. | 4. Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula. |

Brev. ms. Senonense saec. 14. Cod. Vatican. Reg. 153. — Brev. Senonense imp. Parisiis 1519.

89. De Rosario BMV.

Ad Vesperas.

- | | |
|---|---|
| 1. Ave, electa Deo,
Dei digna parens,
Virga Iesse florens,
Primum caeli decus. | 4. Virgo amicta sole,
Lunam pede premis,
Stella enixa solem,
Caput hydrae teris. |
| 2. Nuntiaris, alma,
Spiritu fecunda,
Paritura verbum
Salutare patris. | 5. Deo ex lege sacras
Marem primo natum,
Quem praefatur vates
Lumen plebi datum. |
| 3. Mater adis matrem
Sexto mense fetam,
Unde exsultat verbo
Verbi vox et praeco. | 6. Invenitur lactens
A magis in domo,
A te cum magistris
Disserens in templo. |
| 7. Laus tibi, regina,
Quae pios coronas
Triumphalis horti
Liliis et rosis. | |

Antiph. ms. S. Katharinae Divoduren. saec. 14. Cod. Vatican. s. n. (ol. 122 bis) add. saec. ¹⁵/₁₆.

90. De Rosario BMV.

Ad Matutinum.

- | | |
|--|---|
| 1. Christi gementis imbribus
Rigatur hortus roseis,
Cuius fluunt aromata
Flante aquilonis turbine. | 4. Succurre, mater, filio
Crucis gravato pondere,
Lugete, Sion filiae,
Cladi futurae obnoxiae. |
| 2. Rubescit iacta verbere
Columna caesi corporis,
Nam nulla pars plagis vacat
A planta ad usque verticem. | 5. Crucis sub ara residens,
Evae propago veteris,
Guttis profusi sanguinis
Absterge lepram germinis. |
| 3. Caput sacrum ornate rosis,
Coetus sacri rosarii,
Quod perfidi et sacrilegi
Spinis cruentant rigidis. | 6. Maria, mater gratiae,
Mater misericordiae,
Tu nos ab hoste protege
Et hora mortis suscipe. |

7. Gloria tibi, Domine.

Antiph. ms. S. Katharinae Divoduren. saec. 14. Cod. s. n. (ol. 122 bis) add. saec. ¹⁵/₁₆.

91. De Rosario BMV.

Ad Laudes.

- | | |
|---|---|
| 1. Fletus moratur vesperi,
Aurora fert laetitiam,
Qua sol in oras superas
Resurgit ab occiduis. | 4. Caduca mundi deserens
Scandis choros angelicos
Piosque piis precibus
Servas ab ira iudicis. |
| 2. Adire post victoriam
Sinum paternae dexteræ
Vidisti amictum nebula
Stipante caeli curia. | 5. A trinitatis solio
Fructu salutis perpeti
Adepta sceptrum gloriæ
Regina caeli frueris. |
| 3. Hinc vehementis ignea
Repleris aura spiritus
Et, cuius alvus templum est,
Fit lingua vocis organum. | 6. Maria, mater gratiæ,
Mater misericordiæ,
Tu nos ab hoste protege
Et hora mortis suscipe. |

7. Gloria tibi, Domine.

Antiph. ms. S. Katharinae Divoduren. saec. 14. Cod. Vatican. s. n. (ol. 122 bis) add. saec. 15/16. — 5, 2 Functus. — Mel. dieses wie des vorhergehenden Hymnus: Quem terra pontus.

92. De beata Maria V.

- | | |
|--|---|
| 1. Salve, sancta parens,
Rosa spina carens,
Seda nobis bella,
<i>Ave, maris stella.</i> | 4. Per te detur, mater,
Filius et pater,
Ut qui ex te natus
<i>Tulit esse tuus.</i> |
| 2. Dona nobis pacem,
Mater, tu veracem,
Tribue iuvamen
<i>Mutans Evæ nomen.</i> | 5. Superbiam vita,
Salus infinita,
Suscipe tu fastos,
<i>Mites fac et castos.</i> |
| 3. Mala nostra pelle,
Trahens sine felle,
Crimina ignosce,
<i>Bona cuncta posce.</i> | 6. Subleva tu clemens,
Salve, virgo parens,
Tecum sublevemur,
<i>Semper collaetemur.</i> |

7. Ago tibi patri
Sumas grates ratas,
Almo nato sonus,
Tribus, honor unus.

Miss. Romanum imp. Venetiis (de Zanchis) 1505. A. — Missale sec. usum Sarum imp. 1519. B. — In A auf dem letzten Blatte mit zwei andern Liedern Laudetur Dei filius und O gloriosa domina als eine Sequenz. Es ist aber augenscheinlich keine Sequenz, sondern eine Imitation des Ave maris stella. — 4, 2 Filius nobis et pater.

93. De beata Maria V.

- | | |
|---|---|
| 1. Laudetur Dei filius,
Patris, Mariae unicus,
Colant, adorent viscera
<i>Quem terra, pontus, aethera.</i> | 3. Beata mater humilis,
Excelsa super sidera,
Fac nos purgatos crimine,
<i>Beata mater munere.</i> |
| 2. Surgamus omnes invicem,
Flectamus iram vindicem,
Subdantur illi singula
<i>Cui luna, sol et omnia.</i> | 4. Praesta, virgo piissima,
Almo lustrata flamine,
Munitos redde filio,
<i>Beata caeli nuntio.</i> |
5. Per te sumamus gaudia
Et supernorum cantica
Psallentes Christi nomine:
Gloria tibi, Domine.

Miss. ms. Capit. Lucen. VIII, 589 saec. 15. add. saec. 15. ex. A. — Miss. Romanum imp. Venetiis 1505. B. — Miss. sec. usum Sarum imp. 1519. C. — Balinghem, Parnassus Marianus p. 265 u. f. D. — A hat nur die erste Strophe. Cfr. Anal. XX, 177. Vgl. die Bemerkung zum vorhergehenden Hymnus.

94. De beata Maria V.

- | | |
|---|---|
| 1. <i>O gloriosa domina,</i>
Hirsutos hostes callidos
Sternis, collisa tartara,
Confusa semper viscera. | 3. <i>Tu regis alti iamua,</i>
Per quam intramus curiam,
Iucunditatis gaudia,
Agmen sanctorum civium. |
| 2. <i>Quod Eva tristis abstulit,</i>
Tu sola, mater, tribuis,
Per te resumit populus
Priores vires perditas. | 4. <i>Gloria tibi, Domine,</i>
Qui natus es de virgine,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula. |

Miss. Romanum imp. Venetiis 1505. A. — Miss. sec. usum Sarum imp. 1519. B. — Balinghem, Parnassus Marianus p. 266. C. — 1, 4 lies vipera? — 3, 4 Atque caelestem gloriam C. — Vgl. die Bemerkung zum Hymnus Salve sancta parens Nr. 92.

95. De beata Maria V.

- | | |
|---|---|
| 1. O imperatrix regia,
Caeli et terrae domina,
Mater Dei eximia
Virginumque pulcherrima. | 2. Supernorum laetitia,
Stupor, festum et gloria,
Laus, decus nostri generis
Salvatricque mirabilis. |
|---|---|

3. Ad summi regni solium
Evecta et fastigium,
Nos clarae tuae curiae
Ascribas et familiae.

4. Immenso cordis iubilo
Atque laudis tripadio
Nunc Deum benedicimus
Pro tibi datis omnibus.

Orat. ms. S. Petri Salisburgen. saec. 15. Cod. Petrin. b VII 10.

96. De beata Maria V.

1. Regina terrae gentium,
Maria, lumen mentium,
Fons aquarum viventium,
Solacium maerentium.

3. Conciliatrix veniae,
Larga largitrix gratiae,
Pacis auctrix, concordiae
Et imperatrix gloriae.

2. Tu virga lesse florida,
Confugii urbs valida
Et stella maris fulgida,
Cunctorum mater vivida.

4. Rosa quae profers lilium
Et sidus solem filium,
Hunc nobis in praesidium
Da nunc et post in praemium.

5. Gloria tibi, Domine,
Deus homo, qui virgine
Prodisti David germine,
Non a virili semine.

Sequent. et. hymn. ms. Carmeli Senen. saec. 14. Cod. Senen. G III
2. — 5, 2 De cuius homo qui. — 5, 4 Non fehlt. — Mel.: Agnetis
festum martyris.

97. De beata Maria V.

Ad Primam.

1. O Christe, proles virginis,
Patris compar altissimi,
Per tuae matris merita
Dele nostra peccamina.

2. O mundo venerabilis,
Virgo, mater mirabilis,
Maria, plena gratia,
Ora pro nobis, domina.

3. Maria, mater gratiae,
Mater misericordiae,
Tu nos ab hoste protege
Et hora mortis suscipe.

Brev. S. Crucis b. Leufredi imp. s. l. et a. [1544].

98. De beata Maria V.

Ad Tertiam.

1. Quem credimus ex virgine
Natum, benigne Domine,
Sit nobis haec confessio
Peccatorum remissio.

2. Quae genuisti filium
A summo patre genitum,
Per haec tua nos merita
A lapsu mortis releva.

3. Maria, mater gratiae,
Mater misericordiae,
Tu nos ab hoste protege
Et hora mortis suscipe.

Brev. S. Crucis b. Leufredi imp. s. l. et a. [1544].

99. De beata Maria V.

Ad Sextam.

- | | |
|--|---|
| 1. Nate summe rex utero
Mariae de virgineo,
Emunda nos a vitio
Et orna sanctis meritis. | 2. Dei mater, o domina,
Sublimis tanta gratia,
Tua fac exaltatio
Sit nostra relevatio. |
|--|---|

3. Maria, mater gratiae,
Mater misericordiat,
Tu nos ab hoste protege
Et hora mortis suscipe.

Brev. S. Crucis b. Leufredi imp. s. l. et a. [1544].

100. De beata Maria V.

Ad Nonam.

- | | |
|---|--|
| 1. Fili Mariae virginis,
Da nobis eius meritis
A peccato resurgere
Et ad vitam pertingere. | 2. Cuius es factus, filius
Dei, pro peccatoribus,
Haec qui fide pronuntiant,
Fac ut salutem sentiant. |
|---|--|

3. Maria, mater gratiae,
Mater misericordiae,
Tu nos ab hoste protege
Et hora mortis suscipe.

Brev. S. Crucis et b. Leufredi imp. s. l. et a. [1544].

101. De beata Maria V.

1. Sint salutati caput et capilli,
Frons, genae, cervix, oculi, pupilli
Et color vultus, genetrix tonantis,
Guttur et ora.

2. Sint salutati teretes papilli,
Cor, pedes, venter, digiti, labella,
Tristis es maestis, veneranda virgo,
Cordis amore.
3. Sit salutatus dolor o acerbus,
O parens dulcis, Deus est supremus,
Passio Christi benedicta, tecum
Natus Olympi.

Orat. ms. S. Petri Salisburgen. saec. 16. Cod. Petrin. a III 20.

DE SANCTIS.





102. Litania Omnium Sanctorum.

1. Rex salvator alme,
Suscipe nostrarum
Munuscula precum.
2. Indulgere nobis,
Christi tui servis
Scelere gravatis.
3. O sancta Maria,
Mater atque virgo,
Postula pro nobis.
4. Archangele summe,
Michael ut Dei,
Postula pro nobis.
5. Condigne Gabriel,
Fortitudo Dei,
Postula pro nobis.
6. O consors Raphael,
Medicina Dei,
Postula pro nobis.
7. O almitas sancta
Patriarcharum,
Postula pro nobis.
8. O principalitas
Apostolorum,
Postula pro nobis.
9. O martyres sancti,
Veniam precamini
Pro peccatis nostris.
10. Confessores sancti,
Precibus assiduis
Poscite pro nobis.
11. O celsi patroni,
Monachi beati,
Poscite pro nobis.
12. O sanctarum chori
Virginum corusci,
Poscite pro nobis.
13. Faventes sanctarum
Viduarum preces
Nobismet nunc prosint.
14. Insontes pueruli,
Martyrum floretum,
Poscite pro nobis.
15. O sancti vos omnes,
Virtutes innumerae,
Poscite pro nobis,
16. Maligno ab hoste
Ut Deus defendat
Nos hic et in aevum;
17. A gente pagana
Ut Deus defendat
Nos hic et in aevum;
18. Ab omni terrore
Ut Deus defendat
Nos hic et in aevum;

- | | |
|--|---|
| 19. Ab omni periculo
Ut Deus defendat
Nos hic et in aevum; | 24. Ut indulgentiam
Criminum nostrorum
Det nobis salvator; |
| 20. Ut aurae temperiem
Bonam ac frugiferam
Det nobis salvator; | 25. Ut summum pastorem
Apostolicum N
Dominus conservet. |
| 21. Ut commoditatem
Aeris rorantis
Det nobis salvator; | 26. Ut dignum pontificem
N dominum
Dominus conservet; |
| 22. Ut imbrem fecundum,
Bona germantem,
Det nobis salvator; | 27. Ut Ottonem regem
Et eius exercitum
Dominus conservet; |
| 23. Ut tranquillam vitam
Pacem et perennem
Det nobis salvator; | 28. Ut per totum orbem
Ecclesiam sanctam
Dominus conservet. |

Rit. et Sacram. S. Albani Magunt. saec. 10. Cod. Palat. Vindobonen. 1888.

103. In Natali plurimarum Virginum.

Ad Vesperas.

- | | |
|--|---|
| 1. Rerum creator omnium,
Iesu, decusque virginum,
Exaudi preces omnium
Harum festa colentium. | 3. Victoriam martyrii
Qui das in sexu fragili,
Dimitte nostra vitia
Nobis dans caeli gaudia. |
| 2. Tuam, Deus, potentiam
Atque misericordiam
Laudat devota contio
In hoc sancto sollemnio. | 4. Praesta, pater piissime,
Patrique compar unice
Cum spiritu paraclito
Regnans per omne saeculum. |

Brev. Auxitanum imp. Auxis 1533.

104. De una Electa.

- | | |
|---|--|
| 1. Gratuletur ecclesia
Nova promendo cantica,
Nam omnes ad caelestia
Invitat Christi gratia. | 2. Dum luit mundi crimina
Lapsos erigit venia,
Peccantes paenitentia
Iungit iustis in gratia. |
|---|--|

- | | |
|--|---|
| <p>3. Omnis gentis et generis
Atque sexus quamvis reis
Bravium vitae perpetis
Non denegat pro meritis,</p> | <p>5. Quarum, Christe, suffragiis
Nos errantes hic in viis
Ereptos de tristitiis
Aeternis dita gaudiis.</p> |
| <p>4. Virginibus centesimum,
Viduis sexagesimum,
Coniugatis tricesimum
Dans fructum saluberrimum.</p> | <p>6. Da, pater, nobis gaudia
Per filium repromissa
Spiritus sancti gratia
Nos fovente per saecula.</p> |

Brev. Poznaniense imp. Lipsiae 1530.

105. In Natali sancti Adelphii.

Ad Vesperas.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Sancte Deus altissime,
Tibi grates referimus,
Qui per fideles famulos
Tuos ditasti tellurem.</p> | <p>5. Hic caritate profluus,
Hospitibus dulcissimus,
Sic nitens inter homines
Ceu iubar ex aethere.</p> |
| <p>2. Sacer confessor Domini,
Adelphius fert tropaea
Post saeculi angustias
Adeptus almam requiem.</p> | <p>6. Amans opaca eremi
Oratione sedula,
Gemitu atque lacrimis
Abstersit culpas noxias.</p> |
| <p>3. Pastor effectus ovium,
Paterna splendens gratia,
Sibi subiectum populum
Nutrivit atque aluit.</p> | <p>7. Celsus de gente nobili,
Sicambrorum de culmine
Veluti cunctis ultimus
Vivebat inter homines.</p> |
| <p>4. Mitis et dulcis omnibus,
Eloquio affabilis,
Die ac nocte meditans
Psalmos et hymnos iugiter.</p> | <p>8. Sancte Deus altissime,
Te supplicantes quaesumus,
Illi augeas praemia,
Nobis concedas veniam.</p> |

Brev. ms. Romarici Montis saec. 16. Cod. Spinalien. 164 (77). A. — Hymnar.
ms. Romarici Montis saec. 15. Cod. Spinalien. 194 (86). B. — 2, 2 ferens
AB. — 5, 1 Hic fehlt AB. — 6, 3 et lacrimis B. — 8, 1 Te sancte B. —
8, 2 Te fehlt B. — 8, 3 Ut illi B.

106. In Natali s. Adelphii.

Ad Nocturnum.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Iesu iuste, misericors,
Devotae mentis conditor,
Nostris parcens criminibus
Piis fave concentibus.</p> | <p>2. Sancti patris Adelphii,
Virtutum flore splendidi,
Gaudentes festum canimus
Ipsi psallentes vocibus.</p> |
|--|---|

- | | |
|--|--|
| <p>3. Qui contulit hoc meriti,
Ut verus cultor eremi
Per deserta et invia
Vitae probaret gaudia.</p> | <p>5. Huius te, Christe, precibus
Nos consolare, quaesumus,
Pestem pellendo noxiam
Pacem praebere continuam.</p> |
| <p>4. Aetate quamquam iuvenis,
Fonte rigatus pneumatis,
Sancto sanctorum placitam
Sese mactavit hostiam.</p> | <p>6. Deo patri et filio
Cum spiritu paraclito
Sit laus aeternae gloriae,
Sit decus sine tempore.</p> |

Brev. ms. Romarici Montis saec. 16. Cod. Spinalien. 164 (77). A. —
Hymnar. ms. Romarici Montis saec. 15. Cod. Spinalien. 194 (86). B. —
2, 2 splendida B. — 3, 3 in via B. — 4, 3 placidam. — 6, 2 paraclito A.

107. De sancto Adelwoldo.

1. Inclitus pastor populiue rector,
Cuius insignem colimus triumphum,
Nunc Adelwoldus sine fine laetus
Regnat in astris.
2. Qui pater noster fuit et magister,
Exhibens sacrae documenta vitae
Et Deo semper satagens placere
Corde benigno.
3. O diem sanctum, celebrem, coruscum,
Quem Dei nobis pietas sacravit,
Ut patri tanto mereremur alium
Promere cantum!
4. Nunc eum nisu rogemus omni,
Abluat nostrum pius ut reatum
Et sua sancta prece nos ad altum
Ducat Olympum.
5. Sit Deo soli decus et potestas,
Laus in excelsis, honor ac perennis,
Qui suis totum moderans gubernat
Legibus orbem.

Collect. ms. S. Ebrulphi saec. 11. [et 12]. Cod. Alenconien. 14; dieser Teil (nach Delisle) von der Hand des Ordericus Vitalis. Ob auch die Dichtung von ihm herrührt? Aufschrift: „Hymnus vespertinalis sapphico metro hendecasyllabo editus, Adonium quarto continens in loco.“

108. De sancto Aegidio.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Gaude, fidelis contio,
Sancto plaudens Aegidio,
Eius namque sollemnia
Sacra colit ecclesia.</p> <p>2. Confessor est eximius
Christi sanctus Aegidius,
Quem oriundum Graecia
Dei lustravit gratia.</p> <p>3. Laudabuntur per saecula
Virtutes et miracula,
Quae divina potentia
Patravit ab infantia.</p> <p>4. Aetatis puer tenerae
Viro languenti misere
Veste dedit remedia,
Per quam cepit salubria.</p> | <p>5. Per hunc omnis infirmitas
Fugit, cessit sterilitas,
Recuperata copia
Gavisa fuit Gotia.</p> <p>6. Perfecte quia credidit,
Vitam defuncto reddidit,
Ipsius ad imperia
Fugata sunt daemonia.</p> <p>7. Sanctum quisquis Aegidium
Digne colit, propitium
Christum habet, nec gratia
Caret petita venia.</p> <p>8. Veneremur hunc pariter,
Oremus unanimiter,
Ut ad aeterna gaudia
Nos perducatur prece pia.</p> <p>9. Gloria tibi, trinitas,
Laus tibi, sancta unitas,
Ex cuius sapientia
Sunt et reguntur omnia.</p> |
|---|--|

Hymn. ms. S. Petri Mart. Utinen. saec. 16. Cod. Civit. Utinen. s. n. —
4, 2 misero. — 6, 3 Impius ad.

109. De sancta Agatha.

Ad Laudes.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Quas seminavit lacrimas
Nunc metit ovans Agatha,
Quia in regni solio
Laetatur cum tripudio.</p> <p>2. Cui dolor non amplius,
Luctus non erit nec aestus,
Quia eius ab oculis
Lacrimas Deus detraxit.</p> <p>3. Iam enim hiems transiit,
Imber cessit et abiit,
Florentes assunt vineae
In terra redolentiae.</p> | <p>4. Ubi castis amplexibus
Sponsa beata iungitur,
Cum quo regnat feliciter
Lumen adepta gloriae.</p> <p>5. Cuius nobis clementiam
Prece imploret sedula
Suum devotis mentibus
Hic festum celebrantibus.</p> <p>6. Sit laus patri ingenito
Eiusque unigenito
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.</p> |
|--|--|

Psalt. et hymn. ms. Tridentinum saec. [12. et] 13. (Privatbesitz). — 3, 1
hiems traxit. — 5, 1 clementia.

II0. De sancta Agnete.

- | | |
|---|--|
| 1. Ad laudem tui nominis,
O Agnes, expers criminis,
Sponsa Dei et hominis,
Cantetur hymnus celebris. | 5. Quod cernens ille fortius
Gravatur atque protinus
In lecto clamat altius,
Ex quo fit pater anxius. |
| 2. Haec tibi natum virginis
Elegit ex cunabulis
In sponsum, quem prae ceteris
Amavit virgo nobilis. | 6. Videns autem quod alius,
Donet vota vel melius,
Non prosunt, coepit diutius
Vexari atque durius. |
| 3. Dum a scholis revertitur,
Cor virginis concutitur,
Quam per multos alloquitur
Ostendens, quod promittitur. | 7. Auditaque iactantia,
Qua se Domini famula
De sponsi sui curia
Exsultat spernens alia, |
| 4. Spreto, quidquid ostenditur,
Velut lutum, quod teritur,
Agnes nunquam seducitur,
Donis nec minis flectitur. | 8. Repertoque contraria
Esse diis christicola,
Probata iam constantia
Eius, fertur sententia. |
| 9. Sit trinitati gloria
Sicut et laus perpetua,
Per quam in eius curia
Regnat Agnes per saecula. | |

Brev. Massiliense imp. Lugduni 1526. — 6, 1 aliud. — 6, 2 Donec. — 7, 2 Quae se. — 9, 3 eius gloria.

III. De sancto Amando.

- | | |
|--|--|
| 1. Ave pater, pastor noster,
pontifex egregie,
Ave carus amor noster,
dulce nomen Amande,
Ave praesul gloriae,
semper amantissime. | 3. A primaevo nempe flore
sacrae pueritiae,
Maribus aevum senile
visus es(t) attingere,
Multis et normam praebere
perfectae iustitiae. |
| 2. Iure tibi laudum melos
concinendo pangimus,
Sed condignas tanto patri
ferre laudes nequimus,
Corde tamen quod gestimus
plectro linguae promimus. | 4. Mox signorum gloriosis
muneratus titulis,
Triumphalis signo crucis
anguem saevum proteris
Verbique virtute pellis
Ogiae de terminis. |

5. Virtutes excoluisti
studio pervigili,
Ipse sed occuluisti
mente semper humili,
Favor ne daretur tibi,
sed superno numini.

6. Hinc factus praesul mactusque
deitatis munere,
Ut lucerna ardens fide
claro lucens opere,
Iure celso candelabri
sublevaris stipite.

7. Tu redemptor captivorum,
consolator pauperum,
Tuque pater pupillorum,
tu mater orphanorum,
Vigor paralyticorum,
effugator daemonum.

8. Tu surdis auditum praestas,
tu caecos illuminas,
Lurida tu membra purgas,
mortuum resuscitas
Verbis simul et exemplis
animas vivificas.

9. Nostra laus succumbit tantae
tibi datae gratiae,
Dum mundum reples doctrinae
virtutumque munere,
Famam diffundens et terrae
et caeli per cardines.

10. Nunc precamur, pater alme,
vota nostra suscipe
Et Iesum benignum posce
nobis semper parcere
Ac post huius finem vitae
tecum semper vivere.

11. Annue votis poscentum,
Deus, factor omnium,
Esse credimus quem trinum
atque unum Dominum,
Manet quem laus ante aevum
nunc et in perpetuum.

Dieser Hymnus ist Acta SS. Feb. I, 912 aus einer Antwerpener Hs. der Vita S. Amandi von Milo Elnonen., deren Alter nicht angegeben wird (vgl. S. 853. n. 129) abgedruckt, aber so, daß hintereinander erst alle ungeraden Zeilen sämtlicher Strophen und dann ebenso alle geraden folgen. Dieses sinnlose Etwas hat dann Migne, PP. LL. 87, 1275, getreulich nachgedruckt

112. In Translatione ss. Amati, Romarici, Adelphii.

1. Exsultent agmina poli
Ob triumphum antistitis
Arnulphi, quem paraclitus
Praenuntiavit spiritus.

2. Fulgens in mundi gloria
Cum Romarico consulens
Regnum et regem deserens,
Quem gubernabat fortiter.

3. Vexillo crucis edito
Urbem e flamma protegens,
Sanxerunt loca eremi,
Adest Amatus inclitus.

4. Certantes cum Adelphio
Coronantur a Domino,
Nos salvent piis precibus
Nosque reddant caelestibus.

5. Creator saeculi optime,
Horum precibus adnue,
Iram amove debitam,
Gratam tribue gratiam.

6. Summa concede deitas,
Horum ut fulti meritis
Tibi canamus gloriam
Per cuncta semper saecula.

Brev. ms. Romarici Montis saec. 16. Cod. Spinalien. 164 (77). A. —
Hymnar ms. Romarici Montis saec. 15. Cod. Spinalien. 194 (86). B. —
2, 3 reges A. — 3, 3 Laxerunt A. — 4, 4 Ibi peregrinantibus B. — 6, 2
merita B.

113. In translatione ss. Amati, Romarici, Adelphi.

Ad Tertiam.

1. Oratione sedula
Abiecit saepe daemones,
Virtute fultus Domini,
Sanctis ornatus moribus.

2. Pietate praecipua,
Humilitate maxima,
Sic celsus inter homines
Beavit partes eremi.

3. Te peccatores quaesumus,
Iesu bone, piissime,
Nobis largita venia
Illi ut addas praemia.

Brev. ms. Romarici Montis saec. 16. Cod. Spinalien. 164 (77).

114. De sancto Amato.

Ad Vesperas.

1. Praeclara dies Domini
Nobis illuxit hodie,
In quo amisso saeculo
Victor accepit praemium.

5. Inde iubente Domino
Ad oras tendit alias,
Ut lumen lucens omnibus
Non occultetur modio.

2. Post durum victum eremi,
Post iugem paenitudinem
Amatus, Christi famulus,
Caelorum regna petiit.

6. Mox Habendi ingreditur
Beanda montis culmina,
Sublato passim nemore
Plures fundavit cellulas.

3. Ubi orando Dominum
Specus cum arte condidit,
Tignum, quod breve fuerat,
Tot auxit palmis largius.

7. Turmis sanctarum virginum
Psallendi normam praebuit,
Die noctuque iugiter
Iesum ut laudent Dominum.

4. Caesa rupe de montibus
Casu minante cellulae
Vexillo crucis edito
Mox saxum fixit enorme.

8. Hinc utrique sexui,
Magnis, pusillis, omnibus,
Parem aptavit animum,
Cunctos ut lucrificeret.

- | | |
|---|---|
| <p>9. Hodie caeli angeli
Laetantur, chori martyrum,
Sanctus pro tali merito
Amatus caelos adiit.</p> | <p>11. Iam iam secutus agmina
Sanctorum illa inclita
Illucque sibi bravium
Dudum meritis tulerat.</p> |
| <p>10. Huius patroni precibus
Nos foveamur largius,
Nostrorum vincla criminum
Solvantur in perpetuum.</p> | <p>12. Devotas ergo, proximi,
Grates reddamus Domino,
Confessoris praeconia
Sui dum ore pangimus.</p> |
13. Gloria tibi, Domine,
Gloria, unigenite,
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Romarici Montis saec. 16. Cod. Spinalien. 164 (77). A. — Hymn. ms. Romarici Montis saec. 15. Cod. Spinalien. 194 (86). B. — 1, 4 pretium B. — 2, 1 Post dudum A. — 2, 2 plenitudinem B. — 3, 1 Domino A. — 4, 1 Caesar A. — 5, 3 lumen fehlt A. — 6, 2 culminis B. — 6, 3 passum B. — 8, 1 Huic utroque B. — 9, 2 Laetentur B. — Str. 10 fehlt B; ist durchgestrichen in A. — 11, 3 brevius AB. — 11, 4 monitis AB. — 12, 2 solvamus B. — 12, 3 praeconio B. — 13, 2 unigenito B.

115. De sancto Ambrosio.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Ambrosius, vir fidelis
Doctrinae, nobis de caelis
Qui datus es divinitus
Organum sancti spiritus.</p> | <p>3. O Ambrosi, doctor vitae,
De caelesti palmes vite
Sitientes inebria
Tua doctrina sobria.</p> |
| <p>2. O Ambrosi, doctor dulcis,
Caeli da nectar insulsis,
Insuper ne cordibus
Circumvolvamur sordibus.</p> | <p>4. O Ambrosi, lux de luce,
Transire fac nos te duce
De mundi huius tenebris
Et felleis illecebris.</p> |

Orat. ms. Carthus. Colonien. saec. 15. Cod. Colonien. 28. — Mit der Bemerkung: „Ex hymno.“

116. „In Vigilia divi Ambrosii de la victoria“.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Mediolanum laudibus
Exsultet, votis, precibus
Tot Mediolanensibus
Hodie datis dotibus.</p> | <p>2. Nam visus est Ambrosius,
Eorum patronus pius,
Scutica expavescere
Suis nitentes nocere.</p> |
|--|---|

- | | |
|--|---|
| <p>3. Tunc fantur Theotonici
Similiter et Gallici:
Non possumus extendere
Nec gladium proicere;</p> | <p>5. Ambrosii, sancte doctor,
Nostrorum sis semper rector,
Ad nostri protectionem
Te advocamus patronum.</p> |
| <p>4. Ablatis nostris viribus
Cedamus istis partibus;
Sed ipsis non potentibus
Necat vel dat carceribus.</p> | <p>6. Doctor sanctae ecclesiae,
Intercessor sis hodie,
Sancte pater Ambrosii,
Veniae simus conscii.</p> |
7. Deo ergo sit gloria,
Qui dedit patrocinia
Haec, meritis Ambrosii
Veniae simus conscii.

Brev. Ambrosianum imp. Mediolani 1487. — 2, 4 noscere. — 4, 4 dat fehlt. — 5, 1 Ambrosi; vgl. 6, 3. — 5, 4 vocamus patronem. — Das Fest „Victoria s. Ambrosii in Parabiago“ wurde am 21. Febr. gefeiert. Vgl. Locatelli, Vita di S. Ambrogio, Milano 1874, S. 544.

117. De sancto Andrea.

In 2. Vesperis.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Magnificetur artifex,
Laetetur mundi machina,
Rerum laudetur opifex,
Caelorum plaudant agmina.</p> | <p>4. „Pie praeceptor optime,
Tempus est, ut te videam,
Rex Iesu clementissime,
Fac, mox ut ad te veniam.“</p> |
| <p>2. Simonis Petri socius
Nec impar in supplicio,
Nec crucis Christi nescius,
Vivens pendit biduo.</p> | <p>5. Tuis, Andrea, precibus
A peccatorum vitiis
Purgemur ac criminibus,
Caeli fruamur gaudiis.</p> |
| <p>3. Pro cuius pendens nomine
Palam docebat populum
Eiusque fultus numine
Sic orabat ad Dominum:</p> | <p>6. Ut, cum dies iudicii
Mundo finem praefixerit,
Securae mentis conscii
Stemus, cum iudex venerit.</p> |
7. Uni trinoque Domino
Sit laus, perennis gloria,
Sit decus sine termino
Hic et in caeli curia.

Brev. Abricense imp. Parisiis 1548. — 3, 3 nomine. — 5, 1 Unis (falsche Initiale). — 5, 3 a criminibus. — Vgl. den Hymnus: Glorificetur artifex.

118. De sancto Andrea.

- | | |
|--|--|
| 1. Unum Israel de fontibus
Clarum virum virtutibus,
Quicumque recte credimus,
Dignis canamus laudibus. | 5. Tradens Achaiae in finibus
Mysterium fidelibus,
Ab Aegaea proconsule
Retrusus est in carcere. |
| 2. Hic Andreas apostolus,
De fratre Petro fulgidus,
Christe fide fit celsior,
Est porta facta in Sion. | 6. Dein flagellis subditus
Septem quaternionibus
Christum fateri publice
Doctor pius non destitit. |
| 3. Primus iste dignus exstitit,
Oculis beatis ut cerneret
Messiam et sic concite
Vidisse fratri prodidit. | 7. Post exaratus verbere
Suspensus est in stipite,
Quem missus alto ab aethere
Fulgor micans circumdedit. |
| 4. Piscator ante in fluctibus,
Post doctor ipse in gentibus,
Ne plebs periret imbris,
Extraxit ore retibus. | 8. Hac sorte carnis termino
Reddit beatum spiritum
Et gloriosus funere
Vitam beatam possidet. |
| 9. Gloria patri ingenito,
Gloria unigenito
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula. | |

Liber ms. Miraculorum S. Andreae saec. 12. Cod Parisin. 12603. — 3, 1
Lies: Prius?

119. De sancta Anna.

Ad Vesperas.

- | | |
|--|--|
| 1. Salve, parens Anna,
Illuxisti late,
Caeli ferens manna
Vitae sanctitate. | 4. O dulcis Maria,
Matri meruisti,
Quod posset in via
Sic sublimis sisti. |
| 2. Electa fuisti,
Quod sis matris Christi
Mater, mundo tristi
Vitam genuisti. | 5. Ave, maris stella,
Tremantes conforta,
Sub mundi procella
Felix caeli porta. |
| 3. Castitatis testis,
Ligni vitae fructum
Carne sancta vestis
Evae mutans luctum, | 6. Dei mater alma,
Da triumpho dona,
In virtutum palma
Vincens corona. |

7. Sit laus Deo patri,
Summum Christo decus,
Spiritus sancto,
Trinus honor et unus.

Ant. et hymn. ms. Scarense saec. [14. et] 15. Cod. Upsalen. C 422. A. — Collect. ms. Vadstenense saec. 15. Cod. Upsalen. C 23. B. — Brev. Scarense imp. Holmiae 1495. C. — Brev. Arosiense imp. Basiliae 1513. D. — 7, 2 Summo A. — 7, 4 Tribus honor unus A. — Dieser und die beiden folgenden Hymnen gehören zu dem Officium Felix orbis, felix hora (Anal. XXV, 64), als dessen Verfasser Klemming Nicolaus Hermannii, Bischof von Linköping, bezeichnet.

120. De sancta Anna.

Ad Nocturnum.

- | | |
|---|---|
| 1. Arbor est altae gloriae
Florens Annae fecunditas,
Quam lux perfudit gratiae
Virtutumque sublimitas. | 3. Maria, nidus arboris,
Clausit nido virgineo
Fortem immensi roboris
Caelo missum empyreo. |
| 2. In huius culmen arboris
Deus nidum reposuit,
Annae venter dum corporis
Mariae fructu floruit. | 4. Anna, Maria pariter
Divinis erant oculis
Gratae prae cunctis dulciter
Aeternis semper saeculis. |
5. Matris et natae precibus
Optamus nos suppliciter
Caeli coniungi civibus,
Deo frui feliciter.

Ant. et hymn. ms. Scarense saec. [14. et] 15. Cod. Upsalen. C 422. A. — Collect. ms. Vadstenense saec. 15. Cod. Upsalen. C 23. B. — Brev. Lin-copense imp. Norimbergae 1493. C. — Brev. Scarense imp. Holmiae 1495. D. — Brev. Arosiense imp. Basileae 1513. E. — Nach Str. 5 Maria mater gratiae etc. und die Doxol. de Beata A.

121. De sancta Anna.

Ad Laudes.

- | | |
|--|--|
| 1. Anna matrona maxima
Est testamenti veteris,
Per mores erat optima,
Excelsior prae ceteris. | 3. Ambae sursum eximiae
Et praeminentis gloriae,
Precantes nos respicite
Vultu misericordiae. |
| 2. Eius Maria filia,
Throni tenens sublimia,
Cunctos legis et gratiae
Longe praeit in acie. | 4. Sacra caelorum acie,
Felix Anna, sublimiter
Coniuncta tuae filiae
Pro nobis ora iugiter. |

5. Maria, mater gratiae etc.

Ant. et hymn. ms. Scarense saec. [14. et] 15. Cod. Upsalen. C 422. A. — Collect. ms. Vadstenense saec. 15. Cod. Upsalen. C 23. B. — Brev. Lin-
copense imp. Norimbergae 1493. C. — Brev. Scarense imp. Holmiae 1495. —
Brev. Arosiense imp. Basileae 1513. D. — 2, 2 Iesu tenens C. — 3, 2
praeminentis C.

122. De sancta Anna.

- | | |
|---|--|
| 1. Laudes ad laudes iungite,
Exsultet caelum laudibus,
Et matris huius inclitae
Laudes cantemus vocibus. | 3. Quam diu putant sterilem,
Legis damnandam vitio,
Meretur delectabilem
Rosam fovere gremio. |
| 2. Laudans laudare docuit
Exemplari peritia,
Laus illi semper adfuit
Post sacra puerperia. | 4. Est haec Maria teneri
Christum lactans ex ubere,
Mitis humano generi
Plus quam contingit dicere. |

5. Maria, mater gratiae,
Tua salvet oratio
De lacu nos miseriae
Fultos Annae suffragio.

Brev. Scarense imp. Norimbergae 1498. — Vgl. Klemming III, 23 u. f.

123. De sancta Anna.

- | | |
|---|---|
| 1. Anna, regum progenies
Et sacerdotum series,
Stirpem illustrem patribus
Suis ornavit actibus. | 4. Caeleste beneficium
Pneumatisque solacium
In sanctam Annam fluxerat,
Quae Mariam genuerat. |
| 2. Nupta caeli indicio
Fideli matrimonio
Iuxta verbum angelicum
Fructum concepit caelicum. | 5. O matrona sanctissima,
Omni repleta gratia,
Deum, auctorem omnium,
Nobis redde propitium. |
| 3. Infecunda pro tempore,
Prope marcescens corpore,
Decreto patris luminum
Reginam parit virginum. | 6. Per eius, Christe, gratiam
Da in morte fiduciam,
Quando hinc egrediemur,
Ut te semper contemplemur. |

Orat. ms. S. Petri Salisburgen. saec. 15. Cod. Petrin. a IV, 39.

124. De sancta Anna.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Exsultet plebs fidelium
 Annae referens gaudium,
 Dum haec post vitae stadia
 Transit ad vitae gaudia.</p> | <p>4. Ex Anna surgit virgula
 Totius boni primula,
 Virgo generans filium,
 Nostrae salutis pretium.</p> |
| <p>2. Caeleste beneficium
 Nobis [fit in] remedium,
 Cum haec ex Anna nascitur,
 Per quam libertas redditur.</p> | <p>5. Quam felix terra fertilis,
 Qua crevit spica nobilis,
 Granum frumenti protulit,
 Quod sua morte contulit.</p> |
| <p>3. Felix Anna, quae genuit
 Illam, per quam nos exuit
 A peccati caligine
 Deus natus de virgine.</p> | <p>6. Laus sit semper ingenito
 Eiusque unigenito,
 Qui natus est de virgine,
 Una cum sancto flamine.</p> |

Brev. ms. Lexoviense saec. 15. Cod. Cadomen. 24 (IV^o, 19). — 3, 3 peccatis.

125. De sancta Anna.

In 1. Vesperis.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Gaude, mater Anna,
 Gaude, mater sancta,
 Cum sis Dei facta
 Genetrix avia.</p> | <p>4. Ergo sume laudes,
 Quas damus ovantes,
 Nos ab omni sorde
 Tua prece terge.</p> |
| <p>2. Plaude tali natae,
 Virgini Mariae,
 Eius genitore
 Ioachim congaude</p> | <p>5. Cum sit tibi notus
 Muliebris sexus,
 Scias misereri
 Supplicans regnanti.</p> |
| <p>3. In hac nostra terra
 Primo benedicta,
 Quae fuit in Eva
 Quondam maledicta.</p> | <p>6. Sit laus Deo patri,
 Summo Christo decus,
 Spiritui sancto
 Trinus honor unus.</p> |

Brev. Xantonense imp. Pictavii 1542. — Melodie jedenfalls: Ave maris stella.

126. De sancta Anna.

In Laudibus.

- | | |
|--|---|
| <p>1. O quam felix coniugium
 Annae simul et Ioachium!
 Caste vivunt octogenos,
 Dolent tamen totos annos.</p> | <p>2. Longo legis opprobrio
 Subsunt ambo, sed orando
 Meruerunt exoptatam
 Prolem Deo dedicatam.</p> |
|--|---|

- | | |
|---|--|
| <p>3. Annam quondam qui dolentem,
Saram simul et ridentem,
Templo vidit et respexit,
Huius alvum et implevit.</p> | <p>5. Spina mater, rosa virgo,
Iacob stella fulgens caelo,
Ut hic sedet velut thoro
Rex supernus in solio.</p> |
| <p>4. Radix Iesse mater Anna,
Virga florens virgo nata,
Anna vellus, virgo concha
Gedeonis in area.</p> | <p>6. Audi, mater, cum filia
Vota, quae dant haec agmina,
Fer ad Christi palatia
Tibi facta melodia.</p> |

Brev. Xantonense imp. Pictavii 1542. — 3, 2 Sarram. 4, 4 in aera. —
Ohne Doxologie.

127. De sancta Anna.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Lux de luce prodit orta
Clausula permanente porta,
Vates ut praecinuit;</p> | <p>4. Tu pridem infructuosa,
Cunctis oras odiosa
Tuis contribulibus.</p> |
| <p>2. Felix ista genitura,
Per quam [Deus] mortis iura
Dissipare voluit.</p> | <p>5. Prole tandem fecundata
Es beata praedicata
Olim te spernentibus.</p> |
| <p>3. Ductrix Anna tanti boni,
Cedis maledictioni,
Vetus lex quam statuit,</p> | <p>6. Ergo natam deprecare,
Nos ut suo commendare
Nato velit precibus.</p> |
7. Quod praestare tu dignare,
Bona cuncta qui donare
Scis et vales omnibus.

Brev. ms. Pataviense anni 1333. Cod. Lambacen. CLXXI. add. saec. 15.

128. De sancto Ansgario.

Ad Vesperas.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Ansgari, pater optime,
Errantes nos in devio
Reduc tuo iuvamine,
Servans sub Christi gremio.</p> | <p>3. Notam facis incredulis
Doctrinam evangelicam,
Lucem ministrans populis
Ducis in viam caelicam.</p> |
| <p>2. Danis et Suecis gratiae
Donum fidemque praedicas,
Pugil fortis in acie
Gentes Deo sanctificas.</p> | <p>4. Bonus pastor utiliter
Gregem pascis dominicum,
Informans, quod veraciter
Christum colat magnificum.</p> |

5. Prudens talenta gratiae
Et lucri magnitudinem
Adducis regi gloriae
In pacis pulchritudinem.

6. Deo patri sit gloria
Eiusque soli filio
Cum spiritu paraclito
In sempiterna saecula.

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. 14/15. Cod. Dresden. A. 182. A. — Ant. et. hymn. ms. Scarense saec. [14. et] 15. Cod. Upsalen. C. 422. B. — Collect. ms. Vadstenense saec. 15. Cod. Upsalen. C. 23. C. — 2, 1 Suevis AB; Sweuis C. — 4, 1 viriliter C. — 4, 3 verasciter C. — 6, 1 sit gratia C. — Doxologie unvollständig ABC. — Vgl. Klemming I, 1 sq.

129. De sancto Ansgario.

Ad Nocturnum.

1. Vidit puer Ansgarius
Quandam raptus in spiritu
Praefulgidam decentius
Caelorum in exercitu.

4. Vanus quivis displiceat
Discursus et lascivia,
Maturus sis et saciet
Te Christi sapientia.

2. Ipsam constanter credidit
Mariam esse virginem,
Quae sibi mitis edidit
Talem sermonis ordinem:

5. Nam detestamur otia
Contempto vaniloquio,
Virtutum excellentia
Nostro servit solacio.

3. Si vis nostro consortio
Et nostra frui gloria,
Vitabis omni studio
Locos et puerilia.

6. Post haec crescens appetere
Coepit virtutum foedera,
Christum ferventer colere,
Fide transcendens sidera.

6. Deo patri sit gloria.

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. 14/15. Cod. Dresden. A. 182. A. — Ant. et. hymn. ms. Scarense saec. [14. et] 15. Cod. Upsalen. C. 422. B. — Collect. ms. Vadstenense saec. 15. Cod. Upsalen. C. 23. C. — 1 und 3 fehlt der Reim. Cfr. Klemming I, 6 sq.

130. De s. Antonino Apamiensi.

Ad Vesp. et Noct.

1. Nunc Antonini martyr
Festum celebre colimus,
Qui ob amorem Domini
Sprevit caduca saeculi.

3. Inventis iam pastoribus
Et fidei doctoribus,
Cum quibus diu commanens,
Suscepit sacerdotium.

2. Interrogans profectus est,
Ubi vigeret populus,
Qui collaudaret Dominum
Relictis quondam idolis.

4. Una dierum revocans
A suis cordis cellula:
Si persecuti fuerint,
In reliquam transfugite.

- | | |
|--|---|
| <p>5. Cumque iter perageret,
Ardore sitis lapsus est;
Levando sursum oculos
Preces effudit Domino.</p> | <p>7. Ex qua manavit coelitus
Unda aquae purissimae,
Qua sanctus tunc refectus est
Et permanet et perpetim.</p> |
| <p>6. Quem exaudivit Dominus,
Ac ille fisus numine
Cum sua virga parvula
Percussit terram aridam.</p> | <p>8. Gloria sit altissimo
Patri cum suo filio
Et sanctoque spiritui
Per infinita saecula.</p> |

Off. ms. S. Antonini saec. 17. Cod. Vatican. 8575.

131. De s. Antonino Apamiensi.

Ad Laudes.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Laetetur Vallis Nobilis
Pariter cum affinibus,
In qua athleta denique
Flagitat domicilium.</p> | <p>4. Per illum vicum principis,
Qui Festus nuncupatus est,
Ara beati Stephani
Habebat illuc transitum.</p> |
| <p>2. Per flammam sancti pneumatis
In nece sua rosea
Cum caput parte corporis
Angelice delatum est.</p> | <p>5. Bobus appropinquantibus
Per Antonini merita
Fixerunt sua onera,
Ac si essent immobiles.</p> |
| <p>3. Tunc alveus mirifice
Retro cursum arripiens,
Ducente Dei gratia
Applicuerunt patriae.</p> | <p>6. Palam viso miraculo
Omnes teneri exstasi,
Altercati sunt singuli
Et humarunt reliquias.</p> |

7. Gloria sit altissimo
Patri cum suo filio
Et sanctoque spiritui
Per infinita saecula.

Offic. ms. S. Antonini saec. 17. Cod. Vatican. 8575. — 5, 3 suas aneras. — 6, 2 Et teneri exstasi. — Vgl. die Hymnen Anal. XVI, Nr. 104—106. — Das zu diesen Hymnen gehörige Officium ist bis auf einige rhythmische Antiphonen prosaisch; die Hymnen (trotz der jungen Quelle) augenscheinlich alt.

132. De b. Antonio de Monte Ciano.

1. Alme confessor, supplices, Antoni,
Laudes et preces humiles canentes,
Tuum ante corpus humiles astantes,
Aduva illos.

2. Suscipe preces huius tuae plebis
Et Iesum Christum supplica pro eis,
Ut eos servet simul et defendat
Ab omni malo.
3. Qui te locavit hic miraculose,
Ut apud ipsum esses intercessor,
Sic esto custos huius tui castris,
Montis Ciani.
4. Simul cum patre celebri Augustino
Iungito tecum illum Nicolaum,
Qui Tolentini semper est defensor,
Nos custodire.
5. Tecum coniunge omnes caeli cives,
Prophetas, vates, martyres, Antoni,
Omnes doctores, sanctos eremitas,
Supplicant tecum.
6. Virgines quoque, ut virgo permansisti,
Duc in favorem tu(ae) sanctae catervae,
Sic ante Christum pro nobis orantes
Dicite omnes:
7. Gloria patri genitoque semper,
Et qui procedit Deus ex utroque,
Trinitas sancta, respice dicentes
Hunc sacrum hymnum.

Alphabetum Augustinianum, in quo praeclari Eremitici ordinis germina virorumque et feminarum domicilia recensentur. Autore P. M. F. Thoma de Herrera, Eremita Augustiniano etc. Matriti 1644. — Dem Hymnus folgt unmittelbar eine rhythmische Antiphon (nebst Versikel und Oration):

Alum diem recolimus
Celebritate annua
Antonii, quem credimus
Intronizatum gloria,
Qui nobis, velut cupimus,
Patrozinetur; grandia
Patravit ut iam vidimus,
Patrat nunc et miracula
Suis mente supplicibus
Praebendo mira munera.

Eine Quelle ist nicht angegeben.

133. De sancta Apronia.

- | | |
|---|---|
| <ol style="list-style-type: none"> 1. Excelsae laudis cantica
Pangamus cum melodia
Aproniae magnifica
Recensentes sollemnia. | <ol style="list-style-type: none"> 2. Huius vita sanctissima
Clarior fulgens virtutibus
Virginitatis lilia
Plena tulit odoribus. |
|---|---|

- | | |
|---|---|
| <p>3. Soror fuit clarissima
 Apri, sancti antistitis,
 Ex Trecorum familia
 Excellentis propaginis.</p> | <p>5. Huius sacrato corpore
 Haec ditatur ecclesia,
 Ergo pro tali pignore
 Deo reddatur gratia.</p> |
| <p>4. Haec duo luminaria
 Ex eadem prosapia,
 Aper atque Apronia
 Relucent inter sidera.</p> | <p>6. Hinc Gerardus, pastor mitis,
 Exaltetur cum laudibus,
 Cuius opera praeclaris
 Decoratur muneribus.</p> |
7. Summo patri sit gloria
 Eiusque soli genito,
 Sancto quoque sit flamini
 Coaequalis laudatio.

Brev. Tullense imp. Mussiponti 1595.

134. De sancto Armagilo.

Ad Laudes.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Exaltemus exaltatum
 In supremo culmine,
 Veneremur veneratum
 Et devoto carmine,
 Deo datum, praesignatum,
 Ut patet ex nomine.</p> | <p>4. Hostes nostros qui confundat
 Huius sancti merito
 Et in nobis sic infundat
 Gratiam, ut merito
 Stipendia mereamur
 Caeli cum emerito.</p> |
| <p>2. Armagilus arma gerens
 Nuncupatur proprie,
 A primaevo regi haerens
 Caelestis militiae,
 Miles acer semper gerens
 Arma paenitentiae.</p> | <p>5. Cui mortem nuntiavit
 Rex caelestis patriae,
 Hunc amavit, hunc ornavit
 Stola suae gloriae
 Et ad portam coronavit
 Paradisi hodie.</p> |
| <p>3. Te rogamus, arma gere
 In occursum hostium,
 Nos vexantes hostes tere,
 Tu, nostrum praesidium,
 In succursum nobis quaere
 Iesum, Dei filium.</p> | <p>6. Pro concive est laetata
 Tota caeli curia,
 Cuius morte desolata
 Doluit Britannia,
 Post dolorem consolata
 Pro ipsius gloria.</p> |

7. Summo regi laudas demus.

Brev. ms. Redonense saec. 15. Cod. Vatican. Ottob. 543. — 3, 5 In sursum nobis. — 5, 5 sq. Et ad portam paradisi coronavit. — 6, 1 est fehlt. — Den Hymnus ad Vesp. siehe Anal. XIX, 71 sq.

135. De sancto Arnulpho.

- | | |
|--|---|
| 1. Laudes conditori nostro
persolvamus ovantes
In hac die praecipue,
qua beatus Arnulphus
Coetui iunctus laetatur
angelico in caelis. | 3. Auctor pacis, Deus summe,
castae matris unice,
Patris in sede qui sedes,
preces nostras exaudi,
Per Arnulphi interventum
nobis esto placatus. |
| 2. Qui ceu iubar ex polo
radiavit in solo
Et gratia Dei fultus
praesentia contempsit
Desertique antra petens
secutus est Dominum. | 4. Gloria patri natoque
semper et paraclito,
Laus, potestas atque virtus,
gratiarum copia,
Quem Deum cuncta fatentur
saeculorum saecula. |

Brev. ms. Romarici Montis saec. 16. Cod. Spinalien. 164 (77). A. —
Hymn. ms. Romarici montis saec. 15. Cod. Spinalien. 194 (86). B. — 2, 1
Qui sicut A. — 2, 6 est Christum.

136. De sancto Andoeno.

- | | |
|--|---|
| 1. Hymnum Christo laetitiaie
Promat chorus ecclesiae,
Laudum ferens praeconia
Andoeni pro gloria. | 3. Nunc decus apostolicum
Coronam tenet martyr
Et virginalis gloriae
Carmen cantat laetitiaie. |
| 2. Hic fide, verbis, actibus
Insignis et virtutibus,
Gemma fulsit pontificum
Velut iubar clarissimum. | 4. O praesulum sanctissime,
Pastor noster dulcissime,
Obtine nobis veniam
Et paradisi gloriam. |
| 5. Sit decus et potentia,
Laus, virtus atque gloria
Summo patri cum filio
Et spiritu paraclito. | |

Pass. ms. S. Andoeni Rotomagen. saec. 12. in. Cod. Rotomagen. 1406. —
„Hymnus ipsius pretiosi pontificis Andoeni.“

137. De sancto Andoeno.

- | | |
|---|---|
| 1. Mentis exsultent organa
Andoenum laudantia,
Sacra cuius sollemnia
Festiva dant praeconia. | 2. Qui altus aula regia
Caeli tenet palatia,
Hodie mole carnea
Liber petivit sidera. |
|---|---|

3. Qui nos suo consortio
Pio iungat suffragio,
Pro nobis orans Dominum
Oppressis mole criminum.

4. Quem fides nostra triplicet
Et triplicatum simplicet,
Patrem, natum ac spiritum
Adorans in perpetuum.

Pass. ms. S. Audoeni Rotomagen. saec. 12. in. Cod. Rotomagen. 1406. —
„Hymnus beati Audoeni“.

138. De sancto Augustino.

Ad Nocturnum.

1. Augustine, lux doctorum
Ex fulgente lumine,
Fugator haereticorum
Cum exulto fame,
Fuisti christianorum
Fax interno flamine.

3. Fuisti eremitarum
Fundatur praecipuus,
Exstitisti viduarum
Instructor mellifluus,
Omnium coniugatarum
Praeceptor assiduus.

2. Exstitisti forma morum
In sancta ecclesia,
Ornamentum clericorum
Vitae relucientia,
Dux fuisti populorum
Verbi remanentia.

4. Egenorum educator
Fuisti cum lacrimis,
Captivorum liberator
Communes ab intimis,
Orphanorum defensator
Viribus verissimis.

5. Tibi, Deus, decantemus
Hunc hymnum alacriter,
Tibi quoque laudes demus
Cum affectu dulciter,
Trinitati personemus
Pio corde iugiter.

Collect. ms. saec. 15. Cod. Oxonien. (Canon. Script. Eccl. 89). — Ab-
schrift von Rev. H. M. Bannister.

139. De sancto Augustino.

Ad Laudes.

1. Iussu praelati presbyter
Sacratu mox coenobium
Instituit, ut viveret
Cum fratribus communiter.

3. Locum cum tenet praesulis
Crescit fides, spes, caritas,
Doctrinis et miraculis
Augetur Dei civitas.

2. Kasto se voto vinciens
Pauper fit et oboediens,
Re, carne, mente devovens,
Sed caritate praesidens.

4. Mundi despectis opibus
Non testans pauper obiit,
Coniunctus caeli civibus
In paradisi gaudiis.

- | | |
|---|---|
| 5. Non visum choro praesulum
Te sancto mira visio
Situm praeaelso solio
Prodit teste Gregorio. | 6. Ope tua cum precibus
Te, pater, exorantibus
Dentur in caeli curia
Beata nobis gaudia. |
|---|---|

7. Honor, virtus et gloria
Sit trinitati, gratia
Cuius clausa praecordia
Is sua fecit pervia.

Pontific. ms. Paulanorum saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 502. — Den Hymnus zur Noct. Auxit errorem nubilo siehe Anal. XXII, 47 u. f. Der vorliegende führt den Abedarismus bis O weiter. Vielleicht fehlt noch ein drittes, bis Z reichendes Stück.

140. De sancto Augustino.

Ad Laudes.

- | | |
|--|--|
| 1. Flos cleri, norma praesulum,
Canonicorum speculum,
Iam bonis regni frueris
Cum Salomonis pueris. | 3. Iam supplices te poscimus,
Ut tuis, pater, precibus
Culpis deletis omnibus
Caeli iungamur civibus. |
| 2. Iam cernis, non per speculum,
Sed facie ad faciem
Summi regis cubiculum
Et illam dulcem requiem. | 4. Praestet pater ingenuus,
Praestet hoc unigenitus,
Praestet hoc sanctus spiritus,
Non tres, sed unus Dominus. |

Brev. fratrum Eremitarum s. Pauli imp. Venetiis 1540.

141. De sancta Aurea.

Ad Laudes.

- | | |
|--|---|
| 1. In aula iam aetherea
Conspectu sponsi fruitur,
Quem virgo felix Aurea
Semper laudando sequitur. | 3. Despexit mundi gloriam
Capescens Christi gratiam,
Reliquit aulam regiam
Caelestem quaerens patriam. |
| 2. Mortalis viri nuptias
Innecti virgo renuit,
Quae castis iam deliciis
Cum Christo regnans adfuit. | 4. Per poenas et supplicia
Transit ad vera gaudia,
Post bella multiplicia
Triumphat de victoria. |

5. Sit Christo regi gloria,
Qui coronavit Auream,
Per cuius dat suffragia
Perennem nobis lauream.

Offic. ms. S. Aureae Ostien. saec. 15. Cod. Vatican. Regin. 1949. — Den Hymnus zur Vesper siehe Anal. XIX, 73.

142. De sancto Babyla.

- | | |
|---|--|
| 1. Antiochiae Babylas
Bonus erat vates verbo,
Caesar volebat ingredi
Multum profanus ecclesiae. | 5. Lupum cernens irrumpere,
Oves tenere debui,
Sed contempta senectute
Me non timere indicem. |
| 2. Intus manere ceteros
Iussit sacerdos, obviam
Ferens tyranno pectora
Intrare temptantem vetat. | 6. En, habeo tres parvulos,
Domi fideles instruo,
Vinctum fatebor meritos
Christo quem passos imolant. |
| 3. Furens tyrannus restitit,
Revertens tanti nominis
Non passus se trudi sene,
Verso redit vestigio. | 7. Ibat sacerdos obviam,
Psallentes trahebat hostias;
Ecce, ego meique pueri,
Iesu, dedi, quos tu mihi. |
| 4. Exorto die secundo,
Quare sibi obstiterit,
Rogatus natos fatetur
Fides teneri nescia. | 8. Prius necari parvulos
Babylas petit iudici;
Necati statim parvuli,
Dehinc Babylas sequitur. |

9. Gloria tibi, Domine.

Brev. ms. Ambrosianum saec. 15. Cod. Borgian. M II, 20. — 1, 4
Mutum. — 5, 1 irrumpere. — 8, 2 indici.

143. De sancta Barbara.

- | | |
|--|---|
| 1. <i>Beata nobis gaudia</i>
Dat Barbarae martyrium,
Quam traxit ad caelestia
<i>Deus, creator omnium.</i> | 4. <i>Beata cuius brachiis</i>
Saxa tacta oboediunt,
Dum iis manum imprimis,
<i>Vexilla regis prodeunt.</i> |
| 2. <i>Ad cenam agni providi</i>
Invitatae, qua resides,
Agno iunguntur nobili,
<i>Quocunque pergis, virgines.</i> | 5. <i>Amicta luce caelitus</i>
Ducitur virgo carcere,
Plagae curantur penitus
<i>Iam lucis orto sidere.</i> |
| 3. <i>Rerum creator optime,</i>
Per eam te testificas
In turris trino lumine,
<i>O lux, beata trinitas.</i> | 6. <i>Rex Christe, clementissime,</i>
Haec passa te magnificat,
Audita benignissime
<i>Vox clara, ecce, intonat.</i> |
| 7. <i>Audi, benigne conditor,</i>
Per eam hic nos protegens,
Aeternae sis vitae dator,
<i>Verbum supernum prodiens.</i> | |

Orat. ms. Carthus. Colonien. saec. 15. Cod. Colonien. 28. — 2, 2 Invitare.

144. De sancta Barbara.

In 1. Vesperis.

1. Barbarae festum celebremus omnes,
Virginis sacrae referat triumphos
Martyris noster chorus et beatos
Pangat honores.
2. Fortis et prudens teneris ab annis
Haec fuit virgo, pia, iusta, cunctos
Temperans actus Dominoque iuncta
Mente fideli.
3. Haec Deum verum coluit relictis
Gentium diis, genitoris iras
Passa crudelis, caput et paterno
Perdedit ense.
4. Sit Deo summo Dominoque rerum
Laus, honor, virtus, decus et potestas,
Gratia cuius super astra felix
Barbara vivit.

Brev. Bituricense imp. Lemovicis 1522.

145. De sancta Barbara.

Ad Matutinum.

- | | |
|---|--|
| 1. Creator omnium, Deus,
Invictae fortitudinis
Spes martyrum, dux et via,
Votis fave precantium, | 3. Haec passione iudicem
Vicit sua, vicit suum
Patrem Dioscorum fide
Caelo reportans praemia. |
| 2. Qui celsa Barbarae tuo
Dicata sancto nomini
Tropaea cum sollemniis
Cultu celebrant annuo. | 4. Manus paterna virginis
Collum scidit, sic mortua
Mors est, ut altera Deo
Barbara vita viveret. |
| 5. Sit laus Deo, sit gloria,
Honos, decus, victoria,
Sit gratiarum actio
In saeculorum saecula. | |

Brev. Bituricense imp. Lemovicis 1522.

146. De sancta Barbara.

Ad Laudes.

- | | |
|---|---|
| <p>1. O Christe, sponse virginum
Et martyrum pulcherrime,
Mirabiles victorias
Audi beatae Barbarae.</p> | <p>3. Quam non paterna iurgia,
Non praesidis ferocitas
Nec mors cruenta denique
Quivere fortem vincere.</p> |
| <p>2. Amore cuius intimo
Sprevit maritales thoros,
Ut se tibi, sponso suo,
Fidam probaret virginem.</p> | <p>4. Perennis unde laus tibi
Sit, Christe, qui das laureas
Servis triumphales tuis
Et summa demum praemia.</p> |

Brev. Bituricense imp. Lemovicis 1522. — 3, 4 Quere.

147. De sancta Barbara.

In 1. Vesperis.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Exsulta, plebs catholica,
Sacrae Barbarae laudibus,
Nam eius vita caelica
Supernis micat opibus.</p> | <p>3. Flore nitens perpetuo
Castae excellentiae
Digne dono praecipuo
Fulsit altae peritiae.</p> |
| <p>2. Haec ab adulescentia
Christianitatis ordinem
Ingressa duce gratia
Sprevit mundi dulcedinem.</p> | <p>4. Veritatis catholicae
Recte Tusciam irrigat
Simulque deifice
Sensum cum fide colligat.</p> |
5. Sit laus patri ac genito
Pariterque ac flmini,
Qui huius sanctae merito
Nos summo iungat agmini.

Brev. Lemovicense imp. Lemovicis 1495. A. — Brev. Ebredunense imp. Lugduni 1520. B. — 1, 4 mutat B. — 2, 2 Christi tie ordinem B. — 3, 2 fehlt eine Silbe. — 4, 2 Recte iustitiam irrigat B. — 5, 4 summo iungat.

148. De sancta Barbara.

In Laudibus.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Aurora lucis rutilans
Splendorem defert roseum,
Nosterque chorus iubilans
Barbarae corpus laureum.</p> | <p>2. Dum fidem firmam aperit
Caeleste sidus oculis,
Suam personam ingerit
Datam pro luce saeculi.</p> |
|--|--|

- | | |
|---|--|
| 3. Nam occidentem radiis
Implere caelum incipit,
Cum multis vectam studiis
Sanctam Barbarum recipit, | 4. Veram, constantem, solidam
Vitamque eius inclitam,
Securam, firmam, lucidam,
Divinis verbis insitam. |
|---|--|
5. Sit laus patri ac genito
Pariterque ac flamini,
Qui huius sanctae merito
Nos iungat summo agmini.

Brev. Lemovicense imp. Lemovicis 1495. A. — Brev. Ebredunense imp. Lugduni 1520. B. — 3, 3 vectum AB. — 4, 1 constans A.

149. De sancta Barbara.

In Laudibus.

1. Barbaram diri celebrant agones,
Quippe tyrannos vicit truculentos,
Maximianum simul Marcianum,
Eius praefectum.
2. Hanc saevi torquent iacturis poenarum,
Ut fatigati lictores reddantur,
Nil timet truces ferocesque minas
Ridet eorum.
3. Turre reclusa architecta sollers
Unum rimatur auctoremque trinum,
Dum tres adaptat lumini fenestras;
Patre reverso,
4. Ille miratur artifices causans,
Quem sic adfatur Barbara praeconstans:
His unum lumen, genitor, par fore
Numine divum,
5. Trinis innatum personis divinis
Quodque credentum vivificat alme
Mentes illustrans sensus et obscuros
Illuminatque.
6. O felix virgo Barbaraque martyr,
Spernis electum coniugem carnalem
Nec genus ferox pavescis poenarum
Bis coronata.

7. Hinc, pia mater athletaue fortis,
Comprime nostros perlubricos actus,
Et tua prece digne celebremus
Alma tropaea.

8. Gloria patri genitaeque proli
Et tibi, compar utriusque semper
Spiritus alme, Deus unus, omni
Tempore saeculi.

Brev. Autisiodorensis imp. Autisiodori 1580. Daraus Weale, *Le Beffroi IV* (Bruges 1876) p. 39. u. f. Der Hymnus ist augenscheinlich älter als die späte Quelle.

150. De sancta Barbara.

1. Gratuletur hac in die
Genetrix ecclesia,
Laudes promat harmoniae
Et hymni melodia
In cantum prorumpat pie
Ad Barbarae sollemnia.

2. Ista pro Christi amore
Flagellis concutitur
Et in arta cum furore
Cellula detruditur,
Hinc coram praefecto more
Diis libare praecipitur.

3. Haec diis spernens immolare
Laceratur verbere
Et nolens obsecundare
Clauditur in carcere,
In quo Christus splensens clare
Hanc solatur numine.

4. Hinc mamilla demolitur
Vestique exuitur,
Sed a Christo custoditur
Et cum stola tegitur,
Hinc decollatur, moritur
Et ad caelos subvehitur.

5. Genitori genitoque.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.] „Nota est sicut pange lingua.“ — 3, 6 Lies munimine? Es hat nämlich sonst jede sechste Zeile des Liedes eine Silbe Überschuß.

151. De sancto Barnaba.

1. Mediolani civitas,
Age festiva gaudia,
Pastoris tui Barnabae
Pange mira praeconia.

2. Qui tibi sanctae fidei
Primus pandit eloquia
Honorisque metropolis
Tibi confert insignia.

3. Hic adpetens caelestia
Contemptor visibilium
Ad pedes apostolicos
Agri deponit pretium.

4. Hic plenus sancti spiritus
Verbum in Antiochia
Christi constanter praedicat
Et in Romana patria.

- | | |
|--|---|
| <p>5. Per Barnabam apostolum
Clemens ad fidem ducitur,
Civis Romanus nobilis,
Qui papa martyr moritur.</p> | <p>7. Apostolus hic Barnabas
Matthaei evangelium
Deponens super languidos
Languores sanat omnium.</p> |
| <p>6. Hic macerat assiduus
Corpus suum vigiliis,
Crebris orationibus,
Frequentibus ieiuniis.</p> | <p>8. Hic a Iudaeis perfidis
Fune ligatus trahitur,
Qui traditus incendio
Supernis bonis fruitur.</p> |

Brev. Ambrosianum imp. Mediolani 1487. — 4, 1 plenas. — 8, 4 upernis.

152. De sancto Barnaba.

Ad Vesperas.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Cum protoplasti germina
Morti forent obnoxia,
Ne lex ipsos eriperet,
Quos duris vinclis stringeret,</p> | <p>5. Ex quibus fuit conditus
Hic Barnabas piissimus,
Qui sprexit mundi gaudia
Corde quaerens caelestia.</p> |
| <p>2. Advenit lucis conditor
Volens sanare languidos,
Qui magna dans prodigia
Depulsit ignorantiam.</p> | <p>6. Terrena (re)liquit omnia
Vendens hic sua praedia,
Sociatus apostolis
Resplenduit miraculis.</p> |
| <p>3. Miraculis sic [in]clitam]
Fidem reduxit perditam,
Post [carnis] mortem superans
Revexit cunctos liberans.</p> | <p>7. Cum Paulo Christum praedicans,
Deum paganis nuntians,
In Cypro captus variis
Subactus est suppliciis.</p> |
| <p>4. Scandens caeli palatium
Sanctum refudit spiritum,
Quo pleni tunc apostoli
Dederunt fidem populis.</p> | <p>8. His perferens incendium
Suscepit vitae terminum;
Nunc adeptus caelestia
Pro nobis preces offerat.</p> |
9. Deo patri et filio,
Sancto simul paraclito
Potestas, honor, gloria
Per infinita saecula.

Puccinelli, Placido, Vita di San Barnaba Apostolo, primo pastore di Milano. Milano s. a. [1649], S. 105. „Hinno di S. Barnaba descritto in due codici antichi di carta pergamena, che si conservano nella chiesa S. Lorenzo Maggiore di Milano.“ — 9, 1 Sit Deo.

153. De sancto Barnaba.

Ad Nocturnum.

- | | |
|---|---|
| 1. Aeterna Christi munera,
Apostoli victoria,
Beato Cypri genere
Hymnum canamus Barnabae, | 5. Hic Pauli fidelissimus
Verbo, doctrina socius,
Quorum vita perfulgida
Tota fulget ecclesia. |
| 2. Qui quasi rosa rutilans,
Mundum totum illuminans,
Cuius odore perfidi
Fugantur omnes ethnici. | 6. Conscondens in naviculam
Et properans Salaminam
Verbum ferventer praedicat
Multos languore liberat. |
| 3. Exsultet Romae gloria,
Resultet tota Brixia,
Mediolanum iubilet,
Cum tantus pater praepollet. | 7. Tunc Iudaei increduli
Collum ligant apostoli,
Perducunt ad supplicium
Cremando corpus lucidum. |
| 4. Christum gerens in pectore
Mandata servans optime
Agrumque suum vendidit
Nec non dedit apostolis. | 8. O lux pretiosissima,
Pater beate Barnaba,
Salva praesentem populum
Per tuum natalitium. |
| 9. Praesta, pater ingenite,
Cum genito et flamine
Nobis videre virginem
Gestantem Deum hominem. | |

Puccinelli l. c. p. 107 sq. — 2, 3 odorem. — 5, 4 fulgit. — 6, 3 fruent. — 6, 7 languores.

154. De sancto Barnaba.

Ad Laudes.

- | | |
|--|--|
| 1. Exsultet caelum laudibus,
Resultet terra gaudiis,
Quod Barnabas apostolus
Laetus potitur praemiis. | 4. Per doctrinam apostoli
Et approbatis fructibus
Augetur fides populi
Et crescit ardor spiritus. |
| 2. Apostolo sanctissimo
Non finis vitae latuit,
Quem Paulo sacratissimo
Per ordinem tunc patuit. | 5. Insignis et virtutibus
Vitam beatae Barnabae
Pollere facit Dominus,
Rector suae militiae. |
| 3. Tunc ambo flexis genibus
Tradendo pacis osculum,
Quos separabat spiritus,
Praedicando professi sunt. | 6. Praesta, beata trinitas,
Concede, simplex unitas,
Ut precibus apostoli
Salventur Christi populi. |

Puccinelli l. c. p. 108 sq. — 4, 2 fluctibus. — 4, 4 crescat.

155. De sancto Bartholomaeo.

- | | |
|---|---|
| 1. Tropaea palmae nobilis
Bartholomaei apostoli
Quantum meretur muneris,
Quis explicet praeconiis? | 5. Astriges ut hoc comperit,
Rex et minister idoli,
Iussit suo conspectui
Sanctum nefandus attrahi. |
| 2. Ad quem frequenter fulgidi
Conversitabant angeli
Et, quod iubebat exsequi,
Oboediebant conciti. | 6. Interrogat hunc nequiter,
Quare deos everteret,
Sed colloquente apostolo
Waldat cadit mox idolum. |
| 3. In Indiae confinio
Ingressus templum Astaroth
Mox eius ad praesentiam
Daemon resolvit idola. | 7. Iubente rege protinus
Sanctus secatus fustibus
Et post reciso vertice
Palmam est adeptus gloriae. |
| 4. Polymii lunaticam
Natam per ampla tempora
Curando, regis filiam,
Errore gentem liberat. | 8. Tali beatus ordine
Salus fuit provinciae,
Et laureato funere
Caelum triumphus obtinet. |
| 9. Gloria Deo patri,
Gloria unigenito etc. | |

Legend. ms. Mediolanense saec. 13. Cod. Ambrosian. C 125 inf. — 3, 2 in templum Adstaroth. — 4, 1 Polemii. — 4, 3 filia. — 5, 1 Astrigis. — 5, 4 Sanctum fehlt. — 6, 1 Interrogavit. — 6, 2 deus. — 6, 4 uvaldat. — 8, 2 Salvus fuit. — 9, 1 Lies: Gloria patri ingenito.

156. De sancto Bartholomaeo.

Ad Laudes.

- | | |
|--|---|
| 1. Apostoli sollemnia
Bartholomaei inclita
Recurrunt, ergo agmina
Tripudiant fidelia, | 3. Cuius quanta constantia
Fuit et patientia
Conversa Lycaonia
Probat primum, post India. |
| 2. Concinendo melliflua
Superno regi cantica,
Qui suum invincibilem
Glorificavit militem. | 4. Venerantes nos famulos
Trahat ipse ad superos,
Ad quos per immanissima
Pervenit cruciamina. |

- | | |
|---|---|
| <p>5. Praeclara apostolicis
Bartholomaeae meritis,
Culparum pressos pondere
Interventu nos erige,</p> | <p>7. Civesque, quos Salomone
Continua levas ope,
Supplicando assidue
Coelesti iunge curiae.</p> |
| <p>6. Et quos per prava opera
Orci terrent supplicia,
Tua prece dulcissima
A cruciatu libera.</p> | <p>8. Deo patri et filio,
Similiter paracrito,
Sit honor, virtus, gloria
In saeculorum saecula.</p> |

Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Parisien. 1304. — 6, 1 Ut quos. — 7, 1 Cunisque.

157. De sancta Bathilde.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Inter triumphos nobiles
Praeclaros Christi milites
Tendentes ad aetherea
Aeterna ferunt praemia.</p> | <p>7. Frequentabat ecclesias
Orans Deum cum lacrimis,
Vigiliis, ieiuniis
Inhaerebat assiduis.</p> |
| <p>2. Fuit Bathildis optima
Caelestis regis famula,
Quae regnavit in Francia
Favente Dei gratia.</p> | <p>8. Sub regis namque copula
Ut uxor devotissima
Quaesivit regi optimo,
Iesu (ad)haerere Domino.</p> |
| <p>3. Haec femina laudabilis
Et honorata meritis,
Moribus quae pollet sanctis,
Sic triumphat cum angelis.</p> | <p>9. Abiecit vana omnia,
Concupivit aetherea,
Nunc possidet caelestia
Aeterni regis praemia.</p> |
| <p>4. Forma quoque egregia
Et mente subtilissima
Electa est a Domino
Ex genere Saxonico.</p> | <p>10. Contemnens mundi gloriam
Menteque devotissima
Post perfectam iustitiam
Migravit ad caelestia.</p> |
| <p>5. Quae peregrina venerat,
Regi Francorum nupserat,
Quam Deus magna gratia
Vocavit ad caelestia.</p> | <p>11. Eius per sancta merita
Facit Deus miracula,
Ad eius sacros cineres
Plures curantur debiles.</p> |
| <p>6. Diligens certe Dominum
Ex corde devotissimo,
Christi vero pauperibus
Ut mater esset omnibus.</p> | <p>12. Gloria clementissimo
Deo patri et filio
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.</p> |

Brev. S. Mariae Suessionen. imp. Parisiis 1533. — 8, 2 Ut femina devotissima.

158. De ss. Benedicto et Mauro.

Ad Horas.

- | | |
|--|--|
| 1. Dilectus hic pollet tuus,
Sanctissimum nostrum decus,
Quem Benedictum dicimus,
A quo iuari poscimus. | 2. Te, pater Maure, petimus,
Nobis deposcas veniam,
Ut nos superna civitas
Perennes cives habeat. |
|--|--|

Brev. ms. S. Sophiae Beneventanae saec. 11. Cod. Neapolitan. VI E 48.

159. De sancto Benedicto.

Ad Tertiam.

- | | |
|--|---|
| 1. Benedicto quod psallemus,
Et quod tibi iubilemus,
Donare nobis deprecor,
<i>Aeterne rerum conditor.</i> | 6. Hic fervebat caritate
Et fulgebat castitate,
Nec erat in corde livor
<i>Rerum Deus, tenax vigor.</i> |
| 2. Quem formavit et creavit,
Gubernavit, confortavit,
Ut sancte possit vivere,
<i>Splendor paternae gloriaet.</i> | 7. In pastorem te creavit
Monachorum et donavit
Inclitum collegium
<i>Deus, creator omnium.</i> |
| 3. Benedicte, pater pie,
Lucerna caelestis viae,
Te laudo, pastor inclite,
<i>Iam lucis orto sidere.</i> | 8. Ut Christus, per te placatus,
Nobis mitis sit et gratus,
Poscimus suffragium
<i>Te lucis ante terminum.</i> |
| 4. Ut per istum te laudemus
Et devote adoremus,
Largire divinitus
<i>Nunc sancte nobis spiritus.</i> | 9. Qui te laudant, non falluntur,
Sed libro vitae inscribuntur,
Servi tui, servi Dei,
Pater, recordare mei. |
| 5. Iste sanctus te laudavit
Incessanter et amavit,
Doctor fuit egregius,
<i>Rector potens, verax Deus.</i> | 10. Gloria in perpetuum
Sit creatori omnium,
Qui det per tua merita
<i>Beata nobis gaudia.</i> |

Antiph. ms. S. Coronae saec. 13. Cod. Pragen. XII C 7 a. add. saec.
14. in. — Str. 9 vielleicht unecht. 10, 4 Nobis beata.

160. De sancto Bernardo.

- | | |
|---|---|
| 1. Fit paradisi ianua
Patens Dei clementia,
Dum Bernardi praesentia
Petit caeli palatia. | 2. Doctor morum sanctissime,
Bernarde beatissime,
Dulces natos non deseras,
Quos exemplo genueras. |
|---|---|

- | | |
|---|---|
| <p>3. Cum simus hic carnaliter,
Hostes impugnant graviter,
Fer tua prece iugiter
Opem misericorditer.</p> | <p>5. Per huius sancti merita,
Christe, remitte debita
Et post vitae curricula
Des nobis alma gaudia.</p> |
| <p>4. Et quos in hoc exilio
Acris vexat afflictio,
Tua sancta precatio
Firmet et consolacio.</p> | <p>6. Honor, virtus et gloria,
Salus, honor, potentia
Patri, nato, paraclito
Sit per aeterna saecula.</p> |

Collect. ms. Vadstenense saec. 15. Cod. Upsalen. C. 23. — 2, 4 extemplo. — Mel.: Fit porta Christi pervia.

161. De sancto Bernardo.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Almi Bernardi canimus
Praeconium dulcissimum
Abbatisque eximii,
Laetantur omnes monachi.</p> | <p>4. Clam portabat cilicium
Eligiturque pontifex,
Dignitatem hanc renuens
Curavit daemoniacam.</p> |
| <p>2. Adulatur huic daemon
Per luxurias capere,
Sed evigilans Bernardus
Sternit huius fallaciam.</p> | <p>5. Si inquiris miracula,
Innumera reperies,
Atque centum sexaginta
Construxit monasteria.</p> |
| <p>3. Deditus hic vigiliis
Comedebat quam rarius,
Potum assumens ex aquis
Paupertatis in vestibus.</p> | <p>6. Huic innatus calamus
Composuit volumina
Multos divosque tractatus,
Egregius praedicator.</p> |
7. Consumptis vitae diebus
Tria docet observanda:
Caritas et humilitas,
Omnibus patientia.

Brev. ms. Ambrosianum saec. 15. Cod. Borgian. M II, 20. — 3, 4 Paupertas. — Doxol.: Gloria tibi, Domine.

162. De s. Bernardo Menthono.

In 2. Vesperis.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Pange, lingua, festum nardus
Semper odorifera
Sanctus nobis det Bernardus
Et pigmenti munera,
Cuius labor nunquam tardus
Ad virtutum opera.</p> | <p>2. Hic confessor, procreatus
Nobili prosapia,
Augustensi decoratus
Fuit in ecclesia
Et archidiaconatus
Rexit hic officia.</p> |
|---|--|

- | | |
|--|--|
| <p>3. Se macerans vigiliis,
 Contectus cilicio,
 Semper instat ieiuniis,
 Nec deest oratio,
 Sanctus usus absinthii
 Est omni convivio.</p> | <p>5. Dedit caeco lumen clarum
 Et sterili filium,
 Pestem perdit locustarum
 Et potenter vitium
 Homo Dei usurarum
 Misit in exsilium.</p> |
| <p>4. Hinc Bernardi proferamus
 Virtutum prodigia:
 Domum fecit caritatis
 Montis Iovis in via,
 In qua cuncta dantur gratis,
 Nec quaeruntur praemia.</p> | <p>6. O Bernarde, sacerdotum
 Honor, virtus, gloria,
 Plebem omnem, clerum totum,
 Mentem, manus, labia
 Ad reddendum Deo votum
 Tua invet gratia.</p> |

Brev. Gebennense imp. Annessiaci 1556 (nicht 1546!). — 2, 6 Rexit in officio. — 4, 1 Hunc. — 5, 5 usurarium.

163. De sancta Bertha.

Ad Vesperas.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Te, Christe, nostra cantica
 Deprecantur dulcisona,
 Ut sanctae Berthae meritis
 Misericors sis miseris.</p> | <p>3. Tu es corona virginum
 Salus atque fidelium,
 Remunerator omnium
 Bonorum semper actuum.</p> |
| <p>2. Tu sanctam Bertham proprio
 Sponsasti tibi annulo,
 Astrinxistique osculo
 Mentem eius castissimo.</p> | <p>4. Sit tibi, Christe, gloria,
 Honor, magnificentia
 Cum patre et sancto spiritu
 Per infinita saecula.</p> |

Collect. ms. S. Columbae Senonen. saec. 12. Cod. Vatican. Reg. 755. saec. 12. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

164. De sancta Bertha.

Ad Laudes.

- | | |
|---|--|
| <p>1. O sancta Bertha inclita,
 Regis aeterni filia,
 Precatibus assiduis
 Salutem ferto miseris,</p> | <p>3. Te hodie spiritibus
 Christus iunxit caelestibus,
 Pro nostris iam erratibus
 Deum ora quantocius.</p> |
| <p>2. Tecum ut ad caelestia
 Perveniamus gaudia,
 Quae mereris sanctissima
 Sine fine manentia.</p> | <p>4. Sit tibi, Christe, gloria,
 Honor, magnificentia
 Cum patre et sancto spiritu
 Per infinita saecula.</p> |

Collect. ms. S. Columbae Senonen. saec. 12. Cod. Vatican. Reg. 755. saec. 12. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

165. De sancta Bertha.

In 1. Vesperis.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Decus futurum gloriae
Iubar micat ecclesiae,
Clarior orta natalibus
Et sanctis Bertha testibus.</p> | <p>3. Dehinc contemnens fecunda
Mortalis aevi gaudia
Pium convertit coniugem,
Sectantem vitam caelibem.</p> |
| <p>2. Coniuncta matrimonio
Gumberti nunc clarissimo,
Sed non fecunda partibus
Deo sacravit actibus.</p> | <p>4. Fundans sacrum coenobium
Greges ditavit virginum,
Fit ipsa mater omnibus
Praestantem militantis.</p> |
5. O mater splendidissima,
Potens virtutum gratia,
Post carnis huius exitum
Concede vitae praemium.

Officium ss. Tresani, Gumberti et s. Berthae imp. Rhemis 1557. —
2, 4 Lies vacavit? — Doxol.: Gloria tibi, Domine.

166. De sancto Bertivino.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Martyrium Bertivini
Carens elucido
Tam remoti quam vicini
Sciant hoc iudicio;
Praeteriri sive sini
Non debet silentio.</p> | <p>4. Iste Ioseph in cisterna
Clausus infidelibus
Lucet ut lux in laterna,
Nam Deum operibus
Invocabat Christi verna,
Vernat cum martyribus.</p> |
| <p>2. Martyr iste et levita
Meduanae flumine
Nave transit in accita
Duce navis nemine;
Est mors eius multis scita
Caeli viso lumine.</p> | <p>5. Angelica revelatur
Voce in Normannia
Et a rupe aportatur
Matre sancti praevia,
Venatori restauratur
Cerva, fit ecclesia.</p> |
| <p>3. Nequitiae famulorum
Bacchatur invidia,
Vas divinum plenum morum
Mactat horum furia,
Quod in choro angelorum
Laetatur cum gloria,</p> | <p>6. Claudis gressum, mutis famen,
Sensum energuminis,
Caecis visum, sublevamen,
Et opem palpaminis
Confert, reddit sanctum flamen
Sancti prece numinis.</p> |

7. Sit laus summae trinitati,
Virtus et imperium,
Huius sancti quae beati
Det nobis consortium
Et tabem tergat peccati
Per eius martyrium.

Passion. ms. Montis S. Michaelis saec. 15. Cod. Abrincen. 167 (71) add.
saec. 15.

167. De sancta Birgitta.


- | | |
|---|--|
| 1. Caeli perornat gaudia,
Causam praestat laetitiae
Birgitta, rosa fulgida,
Pax et decus Osgotiae. | 4. Sponsus dilectam suscitāt,
Veni, vocans, ad Libanum;
Surgit amica, properat
Regalem petens thalamum. |
| 2. Beata pauper spiritu,
Palmas extendens pauperi,
Laeto vultus intuitu
Manum porrexit inopi. | 5. Montes petit aromatum
Haec affluens deliciis,
Donis plena charismatum
Vitam servat a vitiis. |
| 3. Soluta matrimonio,
Postquam vir mundo moritur,
Devoto cordis osculo
Christum sponsum amplectitur. | 6. Iesu, nostra redemptio,
Fac nos in regnis caelicis
Huius patronae merito
Sanctorum frui gaudiis. |

Diurn. et hymn. ms. Benedict. Suecic. saec. 15. Cod. Upsalen. C 477.
A. — Collect. ms. Brigittin. saec. 15. Cod. Vindobonen. 282. B. — Brev.
ms. Pragense saec. 15. Cod. Capit. Pragen. O 83. C. — Brev. Strengnense
imp. Holmiae 1495. D. — Brev. Arosiense imp. Basileae 1513. E. — 1, 1 per-
ornant AB. — 1, 4 Sueciae B; ecclesiae C. — 2, 3 vultu C. — 3, 1 Soluta
C. — 4, 3 Regale C. — 5, 3 plena aromatum A. — Verfasser: Birgerus
Gregorii. — Vgl. Klemming I, 13.

168. De sancto Blasio.

In Laudibus.

- | | |
|---|--|
| 1. Dies sollemnis agitur,
In quo sanctus ingreditur
Caelestia palatia
Blasius cum laetitia. | 3. Regem colit caelestium,
Cultum damnat gentilium,
Per divinum praesidium
Aegris praebet remedium. |
| 2. Blasius, gemma praesulis,
Claris clarens miraculis,
Contemplator caelestium
Mundi contempsit gaudium. | 4. Princeps dolet, irascitur,
Blasius poenis subditur,
Eculeo suspenditur,
Medicinis discerpitur. |



5. Per tanti patris merita,
 Tam praeclara, tam inclita,
 Nos ad superna praemia
 Christi perducatur gratia.

6. Deo patri sit gloria,
 Qui moderatur omnia,
 Eiusque soli genito
 Cum spiritu paraclito.

Brev. Lemovicense imp. Lemovicis 1495. — 4, 1 docet. — 5, 2 praeclara tam allata. — 6, 3 soli filio.

169. De sancto Blasio.

In 2. Vesperis.

1. Ave, gloriose
 Martyr, pretiose,
 Blasi, cultor legis
 Christi, summi regis.

4. Ave, vir incasse
 Eculeum passe
 Et pectines feros
 Tamquam fortis heros.

2. Ave, miris signis
 Fulgens, laude dignis,
 Fervens caritate,
 Vernans pietate.

5. Ave, victor fortis,
 Nullum genus mortis
 Pati timuisti
 Pro nomine Christi.

3. Ave, miles bone,
 Constans in agone,
 Qui non superaris
 Poenis nec mutaris.

6. Ave, praesul pie,
 Esto nobis viae
 Dux atque lucerna
 Ad regna superna.

7. Sit laus Deo patri.

Brev. Lemovicense imp. Lemovicis 1495.

170. De sancto Blasio.

1. Laudes de sancto Blasio,
 Martyre ac episcopo,
 Magno canamus gaudium
 Caeli terraeque domino.

4. Pro suo nato mulier
 Sanctum orans suppliciter,
 Spina infixi gutture
 Exit signante praesule.

2. Antro Argei sedulus
 Orabat Dei famulus,
 Cuius orationibus
 Suus sanatur populus.

5. Sue pro suo paupera
 Sanctum adorans vidua,
 Reddidit lupo subito
 Sanum ex sancti merito.

3. Ad pedes tanti praesulis
 Iactabant cum blanditiis
 Orabantque continue
 Et hinc athletae martyres;

6. Agricolaus talia
 Audiens mirabilia
 Iussit, tyrannus perfidus,
 Sanctum caedi cum fustibus.

- | | |
|---|--|
| 7. Ille mitis et innocens
Tam graves ictus sufferens
Post carceris ludibria
Ducitur ad patibula. | 10. Adiutae tanto martyre
Patris sancti munimine
Sic exeunt de carcere,
Ut nix de caelo candidae. |
| 8. In ligno pendens graviter
Et laniatur acriter,
Dextra munitus Domini,
Poenas vicit martyrii. | 11. Blasius cum opprobrio
Lacu iactatur medio,
Signavit lacum athleta,
Stetit ut aqua arida. |
| 9. Septem beatae feminae,
Sancti perunctae sanguine,
Conductae ad martyrium,
Sancti petunt refugium. | 12. Mira pro suo milite
Deus facit cotidie,
Gentes, quae illum celebrant,
Ab omni malo liberat. |

13. Gloria tibi, Domine.

Brev. ms. Ambrosianum saec. 15. Cod. Borgian. M II, 20. A. — Brev. Ambrosianum imp. 1487. B. — 2, 4 suis B. — 3, 2 Agrestes ferae sedulis. B. — 3, 3 Iactabant cum blanditiis B. — 3, 4 Et hoc athletae martyris. B. — 4, 4 signati B. — 5, 1 paupere A. — 7, 2 gravesque B. — 8, 2 Ac. B. — 8, 4 Pennas B. — 10, 2 sancto B. — 11, 2 iactatus. B. — 12, 3 Gentem, quae illum celebrat B. — 13, 1 fehlt B.

171. De s. Bonaventura.

Ad Vesperas.

- | | |
|--|--|
| 1. <i>Iam lucis orto sidere</i>
In aula cardinalium
Chori psallant et citharae,
<i>Christe, redemptor omnium.</i> | 3. <i>Rector potens, verax Deus,</i>
Qui sedes in triclinio,
Hunc sublimasti dignius
<i>In caelesti collegio.</i> |
| 2. <i>Nunc sancte nobis spiritus</i>
Bonaventuram Domini
Esse monstrasti caelitus
<i>Ad cenam agri providi.</i> | 4. <i>Rerum Deus, tenax vigor,</i>
Quem tu replesti gratia,
Iam possidet triumphator
<i>Aeterna Christi munera.</i> |
5. *Te lucis ante terminum*
Rogamus, ut nos dirigas
Tecum in regno luminum,
O lux, beata trinitas.

Officium s. Crucis et amarissimae passionis D. N. Iesu Christi imp. Mediolani 1492.

172. De sancto Bonaventura.

Ad Nocturnum.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Lauda Deum, plebs fidelis,
 Cum suavi carmine,
 Cum quo regnat cardinalis
 De minorum ordine,
 Vir excellens et subtilis
 In sacro dictamine.</p> | <p>3. Si quis mundi cruciatus
 Evitare satagit,
 Hunc beatum deprecatus
 Mox optata recipit
 Et a malo liberatus
 Vitam quietam peragit.</p> |
| <p>2. Timens Deum, simplex, rectus,
 Ab ipsis cunabulis
 Atque Deo consecratus
 Adhuc membris parvulis,
 Ab aeterno deputatus
 Caeli tabernaculis.</p> | <p>4. Quare omnes inclinati
 Effundamus supplices
 Vota divae maiestati,
 Ut post caeli turbines
 Cum hoc sancto coronati
 Illi simus comites.</p> |

Officium s. Crucis et amarissimae passionis D. N. Iesu Christi imp.
 Mediolani 1492.

173. De sancto Bonaventura.

Ad Laudes.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Gaude, frater, qui minorum
 Sanctam servas regulam,
 Comes tibi nam laborum
 Per hanc gressus semitam,
 Primi tenet angelorum
 Magnam cohors gloriam.</p> | <p>3. Cardinalis iste fuit
 Tanta sapientiae,
 In quo Deus habitavit
 Dono suae gratiae,
 Quod aequalem non invenit
 Eius sanctimoniae.</p> |
| <p>2. Seraphicus doctor verus,
 Sancto plenus flamine,
 Praedicator et praeclarus
 Sparso verbi semine
 Fructum metit iam securus
 De perenni germine.</p> | <p>4. Hic vir prudens et pudicus,
 Bonaventura nomine,
 Totus bonus et sincerus
 In sanctorum agmine,
 Caelo gaudet Deo carus
 Miro fulgens lumine.</p> |

5. De quo decus et gloria
 Patri sit et filio
 Atque pleno clementia
 Laus amoris medio,
 Nobis quoque sit gratia
 Eius patrocini.

Officium s. Crucis et amarissimae passionis D. N. Iesu Christi imp.
 Mediolani (per Antonium Zarotum Parmensem) 1492. — 1, 5 scheint verderbt.

174. De sancto Botuido.

Ad Vesperas.

- | | |
|---|--|
| 1. Gaude, caelestis civitas,
Grata depromens cantica,
Botuidi clara sanctitas
Laude lucet magnifica. | 4. Iob sancti memor operum
Sectatur innocentiam,
Tobiae, patris pauperum,
Secutus est clementiam. |
| 2. Laetetur Sudermannia
Tale producens lilium,
Congratuletur Anglia
Tantum baptizans filium. | 5. Post impios non abiit
Nec adpetit terrestria,
Sed onus leve subiit
Regna petens caelestia. |
| 3. Verba David ne effluant,
Cordi curavit tradere:
Divitiae si affluant,
Nolite cor adponere. | 6. O fortitudo martyrum,
Christe, Botuidi precibus
Optatum nobis bravium
Concedas in caelestibus. |

Brev. Stregnese imp. Holmiae 1495. — Vgl. Klemming I, 50 sq.; Acta SS. Iul. VII, 634. — Verfasser dieses und der beiden folgenden Hymnen Birgerus Gregorii, archiep. Upsalen.

175. De sancto Botuido.

Ad Nocturnum.

- | | |
|---|--|
| 1. Haec est dies, quam Dominus
Sollennem, plenam iubilo
Constituit fidelibus,
Summo colendam studio. | 3. Carnem devicit castitas
Ad caelos mentem erigens,
Hostem fugat humilitas
In viam pacis dirigens. |
| 2. Pugnabant more solito
Mundus, caro, daemonia,
Sed destruit hoc subito
Virtutum sanctimonia. | 4. Mundi calcat astutiam
Invicta sancti pietas,
Magnam praestant audaciam
Spes firma, fides, caritas. |

5. O fortitudo martyrum.

Breviarium Stregnese imp. Holmiae 1495. — Vgl. Klemming I, 52.

176. De sancto Botuido.

Ad Laudes.

- | | |
|---|---|
| 1. Botuidi laudes colere
Devotis decet mentibus,
Qui suae precis munere
Nos servet a nocentibus. | 2. Corpus artat ieiuniis,
Ut cornua non erigat,
Christi vacat obsequiis,
Ne vanitates hauriat. |
|---|---|

- | | |
|---|---|
| <p>3. Sanctum reddit amabilem
Cunctis vitae sobrietas,
Pudicum, castum, stabilem
<i>Potus cibique parcitas.</i></p> | <p>4. Qui martyrem magnanimum
Felicem post victoriam
Ad verum vexit gaudium,
<i>Ipsi canamus gloriam.</i></p> |
|---|---|

5. O fortitudo martyrum.

Brev. Stregnese imp. Holmiae 1495. — Vgl. Klemming I, 58; Acta SS. Iulii VII, 635.

177. De ss. Brigida et Maura VV. et MM.

In 1. Vesperis.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Exsultet caeli curia,
Laetetur et ecclesia
Celebrando sollemnia
Virginum cum laetitia.</p> | <p>3. Activam vitam Brigida,
Contemplativamque Maura
Duxerunt veluti Martha
Et eius soror Maria.</p> |
| <p>2. Maritorum consortia
Respuentes et praedia
Erogantes Christi pia
Secutae sunt vestigia.</p> | <p>4. Harum virginum precibus
Mundemur a criminibus
Salvatoris clementia,
Cuius fruuntur gloria.</p> |

Brev. Belvacense imp. Parisiis 1548. — Vgl. den Hymnus gleichen Anfangs Anal. XIX, 160.

178. De sancto Brinnolpho.

Ad Vesperas.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Tu, parens, nato debita
Laudum persolve cantica,
Cuius praeclara merita
Depromunt haec sollemnia.</p> | <p>3. Velut beryllus annulum
Ornat suam ecclesiam,
Per pastorem baculum
Gregem ducens ad patriam.</p> |
| <p>2. Brinnolphus clarus sanguine
Consuevit ab infantia
Divini verbi semine
Sua replere studia.</p> | <p>4. Sicut oliva pullulans
In pietatis opere
Crevit, virtute rutilans
Ut caelum suo sidere.</p> |
5. Sit tibi laus, o trinitas,
Pro tui servi gloria
Duc nos per rectas semitas
Ad verae lucis gaudia.

Brev. Scarense imp. Norimbergae 1498. — Vgl. Klemming I, 62 u. f.

179. De sancto Brinnolpho.

Ad Nocturnum.

- | | |
|---|--|
| 1. Noctis iam cedat otium,
Sit mens divinis dedita,
Surgat chorus fidelium
Laudans Dei magnalia. | 3. Doctrinarum eloquia
Nubes ut imbres protulit,
Quibus divina gratia
Multorum sordes abluit. |
| 2. Vir sanctus se diluculo
Deo maturum tradidit
Et puro mentis oculo
Divinas laudes edidit. | 4. Pastoris hic officium
Diligenter exercuit,
Per mentis desiderium
Soli Deo complacuit. |

5. Sit tibi laus, o trinitas.

Brev. Scarense imp. Norimbergae 1498. — Vgl. Klemming I, 64.

180. De sancto Brinnolpho.

Ad Laudes.

- | | |
|---|--|
| 1. Aurora lucis rutilat
Dans terris rorem caelicum,
Quando Brinnolphus vigilat
Super gregem dominicum. | 3. Donec ex visionibus
Tanta datur audacia
Birgittae iam poscentibus
Deum pro sua gratia. |
| 2. Sed caeci suo scelere
Praelari viri merita
Non potuerunt cernere,
Stant ergo sic abscondita, | 4. Surgunt nova miracula
Lumenque latens panditur,
A diversorum macula
Morborem plebs eripitur. |

5. Sit tibi laus, o trinitas.

Brev. Scarense imp. Norimbergae 1498. — Vgl. Klemming I, 69.

181. De sancto Brioco.

- | | |
|--|--|
| 1. Festus Dei fidelibus
Dies relucet annuus,
Confessor in quo nobilis
Polum Briocius subit. | 3. Huius beati merita
Produntur per miracula,
Quibus fugantur daemones,
Redduntur aegri sospites. |
| 2. Qui sanctitate praeditus,
Virtutum signis inclitus,
Inter choros sublimium
Felix refulget praesulum. | 4. Hunc ergo votis omnibus
Petamus atque laudibus,
Tanti patroni consonum
Vocis resultet organum. |

- | | |
|--|--|
| <p>5. Precamur, ut liberrimus,
Iam perfruens caelestibus,
Nos a culparum nexibus
Solvat beatis precibus.</p> | <p>6. Laus, virtus atque gloria
Sit trinitati maxima,
Cuius reguntur omnia
Nutu benigno saecula.</p> |
|--|--|

Pass. ms Mortaniense saec. 12. Cod. Rotomagen. 1394 (U 119).

182. De sancto Calimero.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Fidelis vitam martyris
Hymnis narremus debitis,
Laudemus quoque gloriam
Regis excelsi nominis.</p> | <p>5. Sicut optabat iugiter,
Urbem liquit, ut creditur,
Quem doneis[!] deseruit,
Mediolanum tetigit.</p> |
| <p>2. Romam petivit editus
Graecorum puer partibus,
Vitam spernens erroneam
Cultor Dei Calimerus.</p> | <p>6. Ob quem surgit episcopus
Castritianus strenuus
Huius urbis ac recipit,
Quem successorem meruit.</p> |
| <p>3. Ad quam degens cum gaudio
Monitus a Telesphoro,
Urbis Romanae praeside,
Sanctorum fit in numero.</p> | <p>7. Damnato post Calimero
Principis ore turgido
Christi penes oracula
Captus recepit extremum.</p> |
| <p>4. Sequens qui vitam praesulis
Dei tutus praesidiis
Urbem coepit deserere,
Ut fidem praestet aliis.</p> | <p>8. Heu, vix reservans animas
Pro viri contumelia,
Redemit quos in lavacrum,
Sumpsit mersus in puteum.</p> |

9. Gloria tibi, Domine.

Brev. ms. Ambrosianum saec. 15. Cod. Borgian. M. II, 20. — 5, 2 reliquit.

183. De sancto Catervo.

Ad Vesperas.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Catervus, vir egregius,
Hodie cum laetitia
Adeptus est superius
<i>Aeterna Christi munera.</i></p> | <p>3. Turba sanctorum iubilet
In hac die laetissima
Ac dulci voce nuntiet
<i>Beata nobis gaudia.</i></p> |
| <p>2. Almi huius praeconia
Canamus claris vocibus,
Et de eius militia
<i>Exsultet caelum laudibus.</i></p> | <p>4. Et nos cum illis merita
Huius viri sanctissime
Tibi cantemus inclita,
<i>Deus magnae potentiae.</i></p> |

- | | |
|--|--|
| <p>5. Rite quia sic voluit
Tibi servire, Domine,
Toto corde, ut debuit,
<i>Summae Deus clementiae,</i></p> | <p>7. Vita vivit in gloria,
In qua gaudet cum iubilo
Et tenet tua praemia,
<i>Iesu, nostra redemptio.</i></p> |
| <p>6. Vana caduca renuit
Et terrenorum omnium,
Fidem servare voluit,
<i>Deus, tuorum militum.</i></p> | <p>8. Sic nostros gressus dirige,
Caterve, miles Domini,
Ut valeamus currere
<i>Ad cenam agni providi.</i></p> |

Collect. ms. Constant. Caietani saec. 17. Cod. Alexandrin. 96 (II).

184. De sancto Catervo.

Ad Nocturnum.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Magno Catervi gaudio
Recolamus sollemnia,
De cuius patrocinio
Speramus caeli gaudia.</p> | <p>3. Loricam eum Dominus
Fidei verae induit
Et vivam spem altissimus
Virtutis ei contulit.</p> |
| <p>2. Hic est miles egregius,
Qui virtutum insignia
Portat vir potentissimus,
Indutus Christi galea.</p> | <p>4. Fert clipeum in brachio
Caritatis dominicae,
Quo pugnavit in proelio
Vitiis mirifice.</p> |
5. Sic nos adversus vitia,
Caterve pater, instrue,
Ut mereamur gloria
Frui caelestis patriae.

Collect. ms. Constant. Caietani saec. 17. Cod. Alexandrin. 96 (II). — 3, 4
ei coluit.

185. De sancto Catervo.

Ad Laudes.

- | | |
|--|---|
| <p>1. In triumphanti gloria
Cum honore militiae
Catervus in victoria
Hic decoratur hodie.</p> | <p>3. De tanto viro nobili
Videntes mirabilia
Mirantur cives caelici,
Canunt eius magnalia.</p> |
| <p>2. Quem susceperunt angeli
Hymnum novum altissimo
Cantantes et archangeli
Cum sanctorum collegio.</p> | <p>4. Et si in caeli patria
Dotatur tantis gaudiis,
Cur ipsius miracula
Non canimus in populis?</p> |

- | | |
|---|---|
| 5. Canamus ergo pariter
Caelorum laudes debitas
Et persolvamus iugiter
Ei horas continuas. | 6. Sit laus tibi, Domine,
Honor [sit] atque gloria,
Et nos precantes suscipe
In Catervi consortia. |
|---|---|

Collect. Constant. Caietani saec. 17. Cod. Alexandrin. 96 (II). — 4, 3
Cur eius.

186. De sancta Christina.

In 1. Vesperis.

1. Virginis proli facie decora,
Pulchrior fide caritate iuncta,
Clara triumphat martyr in excelsis,
Sancta Christina.
2. Nomine sancto virgo nominata,
Iucunditatis oleo peruncta,
Tramite recto currit in odorem
Sponsi trahentis.
3. Idola patris frangit et egenis
Aurea donat figurata, Christo
Nomine voto vertit in salutem
Pretia mortis.
4. Censuit pater cultui deorum
Fore sacrandam nimio decore,
Sed voce Christum praedicat et colit
Mente devota.
5. Non poena mortis, non vitae praesentis
Oblectamenta singula promissa
Fide fundatam supra firmam petram
Vellere possunt.
6. Veste nudata, numero bis seno
Caesa lictorum, donec lapsa manus
Cedit iniqui, provocat insultans
Laeta tyrannum.
7. Gloria laudis sit aeterno patri,
Genitae proli, flamini sacrato,
Sit pax et salus nobis interventu
Virginis almae.

187. De sancta Christina.

Ad Matutinum.

1. Pondere ferri gravius onusta,
Alapis tunsa, ungulis arata,
Carne decisa polluit aspectum
Genita patris.
2. Igne succenso rotis elevatur
Oleo fuso, flamma sed erumpens
Turbæ profanae plurimos exstinxit
Virgine salva.
3. Saxo prægrandi collo alligatam
Lymphis iniectam pelagi, non mersam
Agmina regit caelica cum summo
Principe Christo.
4. Gurgite solum caelitus adducta
Sistitur patri lavacro renata,
Sacro quam parens iugulare parat
Morte praeventus.
5. Urnae candenti multo cum liquore
Iudex succendens præcipit immergi,
Non laesa virgo iubilans in laudem
Christi prorumpit.
6. Tonsa malone trahitur ad fanum
Corpore nuda, orat, et Apollo
Ruit, et iudex moritur, et credunt
Milia terna.
7. Gloria laudis sit aeterno patri,
Genitæ proli flamini sacrato,
Sit pax et salus nobis interventu
Virginis almae.

Pontif. ms. Paulanorum saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 502.

188. De sancta Christina.

Ad Laudes.

1. Iussu tyranni Tertii caminum
Subit incensum, rorida, non usta,
Christo decantans, angelis adiuncta,
Quinque diebus.

2. Ira serpentum virgini mitescit,
Sed incantantem saeviens occidit,
Quem virgo clemens suscitatur et prudens,
Fortis et lenis.

3. Lacte fluente mammis amputatis,
Linguae praecisae partem, non amittens
Fandi virtutem, iacit in tyrannum
Oculo vulso.

4. Annum beata peragens bissennum,
Fixa sagittis, copulata Christo
Sponso regnanti regnat in aeternum
Sponsa triumphans.

5. Suscipe munus pauperis oblatum,
Perfice vota digne postulata,
Scelera munda, redde sanctitati
Te venerantes.

6. Pelle languores, hostes et feroces,
Tristia cuncta, dona sanitatem,
Gaudia caeli tribue, precamur
Famuli tui.

7. Gloria laudis sit aeterno patri,
Genitae proli flamini sacrato,
Sit pax et salus nobis, interventu
Virginis almae.

Pontif. ms. Paulanorum saec. 15. Cod. Vatic. Ottobon. 502. — Die beiden Hymnen sind in der Hs. noch von den folgenden rhythmischen Antiphonen begleitet:

Ad Magnificat:

Quae pertulisti vincula,
Virgas, unguis et alapas
Et ignem cum naufragio,
Nos ultimo iudicio
Fove, virgo Christina.

Ad Benedictus.

Fornacem, angues superat
Et plurima martyria,
Virum a morte suscitatur
Christina virgo pia,
Quae iuncta caeli thalamo
Regnanti Dei filio
Nos adiuvet in via.

189. De s. Cirino.

- | | |
|--|---|
| 1. Exsultet plebs fidelium
Festum colendo annum
Sancti Cirini martyris,
Fidelis gregis praesulis. | 4. Hic Christi testimonio
Molae suppressus vinculo
Intruditur in fluvio
Amantii iudicio. |
| 2. Qui, cum in pueritia
Legis secutus studia,
Virtutis summae gratia
Fit praesul in ecclesia. | 5. Tunc in Dei praesentia
Palmam tenens in dextera,
Corona splendens aurea,
Caelesti saeptus gloria. |
| 3. Cumque doceret idola
Nil esse voce patula,
A gente captus subdola
Arta submissus clausula. | 6. Plebis ergo, sanctissime,
Astantis preces suscipe,
Te flectens regis genibus,
Ut parcat peccatoribus. |
7. Patri Deo sit gloria
Filioque victoria
Cum sancto sit spiramine
Cuncto subtracto tempore.

Collect. ms. Constantini Caietani saec. 17. Cod. Alexandrin. 95 (III) saec. 17.

190. De beata Columba.

Ad Vesperas.

- | | |
|---|--|
| 1. Urbs Reatina gaudeat
Pro Columbae praeconio,
Quae nunc in caelis iubilat
Coniuncta Dei filio. | 4. Praedicatorum inclitum
Ducem virgo consequitur,
Divum patrem Dominicum,
Qui caelo nobis labitur. |
| 2. Infans haec virgo solita
Erat lac semel sugere
Die, quo nostra crimina
Christus deterisit sanguine. | 5. Tu esto nostrum gaudium,
Qui es futurus praemium,
Sit nostra in te gloria
Per cuncta semper saecula. |
| 3. Adulta carnem subicit
Ciliciis, inedia,
Habitum tandem suscipit
Sacrum de paenitentia. | 6. Gloria tibi, Domine,
Qui scandis super sidera,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula. |

Collect. ms. saec. 16. [et 17.] Cod. Vatican. 6278. — Aus einer Supplik des Fr. Seraphinus Ractus O. P., Prior in Perugia, an Gregor XIII. vom Jahre 1583.

191. De beata Columba.

Ad Nocturnum.

- | | |
|---|--|
| 1. Ioanna Orbito gloriae,
Tiferno sit Margarita,
Toti demum Hetruriae
Decus Agnes Politia. | 3. Haec virgo saepe rapitur
Ab sensibus in aethera,
Eam Christus adloquitur
Et sua donat gratia. |
| 2. At Augustae Perusiae
Splendori semper maximo
Erit Columba et curiae
Supercaelesti gaudio. | 4. Quod hostis vafer invidens
Multas tendit insidias,
Sed Christi virgo sapiens
Eius eludit magias. |

5. Tu esto nostrum gaudium.

Collect. ms. saec. 16. [et 17]. Cod. Vatican. 6278. — Der Hymnus zur Nokturn im Gegensatz zu den beiden anderen augenscheinlich Produkt des Humanismus.

192. De beata Columba.

Ad Laudes.

- | | |
|---|---|
| 1. Columbae nunc simplicitas
Proferatur in medium,
Cuius praecelsa sanctitas
Nobis praestet subsidium. | 3. In Deo saepe volitans
Mente petebat sidera
Et sic in petra meditans
Caeli gustabat munera. |
| 2. Dum hic columba degeret,
Nidum in Christi pectore
Fecit, ut se protegeret
Ab omni prorsus scelere. | 4. Hodie tandem sitiens
Ad fontem vivum patriae
Et ima cuncta deserens
Ad regnum ivit gloriae. |

5. Tu esto nostrum gaudium.

Collect. ms. saec. 16. [et 17]. Cod. Vatican. 6278.

193. De sancto Columbano.

- | | |
|---|---|
| 1. Athleta Christi Columba
ipsius et hostia,
Bobio mire constructo
recedens a saeculo,
Quam beate vivat caelo,
signis pandit populo. | 2. Assit semper christiano
pius contubernio
Orans praesertim pro caro
sibimet Luxovio,
Ut illius instituto
floreat perpetuo. |
|---|---|

3. Gloria et honor Deo etc.

Lect. ms. Luxoviense saec. 11. et 13. Cod. Vesolan. 1. add. saec. 12. ex.
Dreves, Hymni Inediti. VII.

194. De sancto Criscentino.

Ad Vesp. et Noct.

- | | |
|---|--|
| 1. Criscentini militia
Mundi devicit vitia,
Noxas abstersit scelerum
<i>Conditor alme siderum.</i> | 5. Criscentinus, martyr Dei,
Calens fervore fidei,
Decus accepit bravii,
<i>Summi largitor praemii.</i> |
| 2. Legem divinam meditans,
Hostes cunctos suppeditans,
Hunc illustravit caelitus
<i>A patre unigenitus.</i> | 6. Narrat eius magnalia
Urbiniensis ecclesia,
Ipsum laudemus cantico
<i>Ex more docti mystico.</i> |
| 3. Edictum princeps protulit,
Quod Criscentinus propulit
Proiectis libaminibus,
<i>Exsultet caelum laudibus.</i> | 7. Deum videt in iubilo
Abiecto carnis nubilo,
Cum mutant mundi aspera
<i>Aeterna Christi munera.</i> |
| 4. Christum fatetur libere
Corde, ore et opere,
Pro te suffert martyrium,
<i>Christe, redemptor omnium.</i> | 8. Ex Maximiani rabie
Effuso pro te sanguine
Transit ad te cum gaudio,
<i>Iesu, nostra redemptio.</i> |
| 9. Rex, pater, sancte spiritus,
Rogamus, praestes caelitus
Post mundi huius tristia
<i>Beata nobis gaudia.</i> | |

Offic. ms. S. Criscentini saec. 15. ex. Cod. Vatican. Urbin. 1750.

195. De sancto Criscentino.

Ad Laudes.

- | | |
|--|---|
| 1. Pangamus nunc, carissimi,
Dona, fratres laetissimi,
Aeterna Christi sumpsimus,
Laudemus hunc velocius. | 3. Gaude, praeclara civitas,
Sit tibi immensa caritas,
Te regit huius largitas,
Gaudet superna claritas. |
| 2. Criscentine, tis precibus
Salvari cum fidelibus,
Qui tuo urbem corpore
Dignam facis summopere. | 4. Languentum omni morbo
Et aegrotanti perfido
Membra sanat, iam foetidum
Expellit, dat diluculum. |
| 5. Nobis tu, Deus, subveni,
Precibus huius adveni
Nostris clemens pectoribus,
Ferre nos in caelestibus. | |

Offic. ms. S. Criscentini saec. 15. ex. Cod. Vatican. Urbin. 1750. —
2, 4 Dignam fecisti summere.

196. De sancto David.

Ad Vesperas.

- | | |
|---|--|
| 1. Gaude, devota Suecia,
Reducens ad memoriam
Cum omni diligentia
David fecundam gratiam. | 3. Hunc Anglia progenit
Claris ortum parentibus,
Qui veritatem docuit
Suecos dignis virtutibus. |
| 2. Tempus adulescentiae
Clara ducens sub indole
Supernae sapientiae
Fontem bibit benevole. | 4. Felicem in Snewryngia
Concludens vitae terminum,
Adduxit multa milia
Credientium in Dominum. |
5. Gloria sit ingenito
Honor et unigenito,
Virtus summa paraclito
Pro tanti patris merito.

Brev. Arosiense imp. Basileae 1513. — Vgl. Klemming I, 78 u. f.

197. De sancto David.

Ad Nocturnum.

- | | |
|--|---|
| 1. Tener ligni vermiculus
Natiyo manens oppido,
Tres hostes stravit parvulus
Impulsu mentis rapido. | 4. Opes ut spinae sauciant,
Negotia cor laniant
Nec patiuntur libere,
Quae sursum sunt, exquirere. |
| 2. Delicias, divitias
Et hostis artes varias
Ieiuniis, inediis
Vicit et precum proeliis. | 5. Ad fidem nobis praevious
Sis in tutela socius,
Ut salvi Christi gratia
Vitemus haec contagia. |
| 3. Congaudeat ecclesia
Recensens tirocinia,
Nam armis certat niveis,
Clarus in Christi cuneis. | 6. Praestet pater ingenitus
Et suus unigenitus,
Confirmet hoc paraclitus,
Par utriusque spiritus. |

Brev. Arosiense imp. Basileae 1513. — Vgl. Klemming I, 79 u. f.

198. De sancto David.

Ad Laudes.

- | | |
|---|---|
| 1. Exsultet caelum laudibus
Resultet et devotio
Suenorum votis, vocibus
Pro tanti patris gaudio. | 2. Hic simplex, rectus, humilis
Et martyr desiderio,
Doctrina praeamabilis
Carensque carnis vitio. |
|---|---|

- | | |
|---|---|
| <p>3. Caecis lumen, claudis gressus
Et surdis aures aperit,
Vadit liber vinclis pressus,
DiffRACTA membra conserit.</p> <p>4. Vi oppressis hic tutelae
Et, si plura requiritis,
Quot sunt morbi, tot medelae
In sancti David meritis.</p> | <p>5. Ergo, pater, cum sic possis
A Christo tanta petere,
Carne pressis, poena fessis
Tuum levameningere.</p> <p>6. Ut sanati et levati
Tuis sacratis precibus
Iucundemur et laetemur
Largis Dei muneribus.</p> |
|---|---|

7. Praestet pater ingenitus.

Brev. Arosiense imp. Basileae 1513. — Vgl. Klemmig I, 85 u. f.

199. De sancto Deodato Ep.

Ad Vesperas.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Dignus summo in laudibus
Deo datus egregius
Dux gratibus hymnificis
Deo detur in modulis.</p> <p>2. Erumpant montes gaudia
Et vallis nostra cantica,
Ecce, qui noster fuerat,
Ereptum Christus vendicat.</p> <p>3. Ore salutem praedicans,
Ortum doloris refutans
Orabat sequi Dominum,
Odisse monet zabulum.</p> <p>4. Dictus Niverni pontifex,
Decus ipsius multiplex,
Dans animae proficuum
Decrevit pati eremum.</p> | <p>5. Auctus momentis casuum
Aptat gaudere unicum,
Amplificatus Domino
Artatur vitae taedio.</p> <p>6. Tempus pastor accelerat,
Terror letalis superat,
Tibi corde faventibus
Totis succurras nisibus.</p> <p>7. Vitae repertor omnium,
Ueni praestans solacium,
Uota reddentes largius
Uitam precamur caelitus.</p> <p>8. Sit cum patre et filio
Spiritu paraclito
Sanctitatis potentia
Sempiterna per saecula.</p> |
|--|--|

Brev. ms. Tullense saec. 14. Cod. Spinalien. 233 (116). A. — Brev. Tullense imp. Parisiis (Sutor) 1510. B. — Brev. Tullense imp. Parisiis (Higman) 1511. C. — Brev. Tullense imp. Mussiponti 1595. D. — 1, 1 Dignus supremis laudibus D. — 3, 1 praedicat A. — 3, 2 amputans D. — 4, 4 Deserta quaerit montium D. — 6, 3 canentibus D. — 6, 4 Succurras totis ABCD; gegen das Akrostichon. — 7, 1 reparator BCD. — 8, 1 Sic B.

200. De ss. Dionysio, Rustico, Eleutherio.

Ad Matutinum.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Exsultet plebs in canticis
Francigena cum gaudio
Verbis, psalmis hymnidicis
Martyri Dionysio.</p> | <p>2. Refulgens Dionysius
Omnimoda scientia
Solis pandit subtilius
Eclipsim et mysteria.</p> |
|---|--|

- | | |
|--|--|
| 3. Paulo docente credidit,
Archipraesul efficitur,
Romam tendens se subdidit,
In Galliam dirigitur. | 7. Feras truces, incendia
Furni, crucis patibulum
Tormentaque fert alia
Et carceris ergastulum. |
| 4. Multis pollens miraculis
Dogma fidei praedicat,
Per quod conversis populis
Via salutis emicat. | 8. Dum celebrat in carcere,
Sibi Christus apparuit
Corpusque suum munere
Divino sibi tribuit. |
| 5. Et lucis orto sidere
Pius martyr educitur
Ad certamen de carcere
Tortoribusque traditur. | 9. Expositus lictoribus
Torquetur multifarie
Cum duobus consortibus
Passionis et gloriae. |
| 6. Exuitur et caeditur,
In ardenti craticula
Carbonibus exurit,
Ignis non laedit facula. | 10. O martyres gloriosi,
Sentiamus vos dulciter
Nos infirmi, vitiosi
Patronos aeternaliter. |
| 11. Sit laus sanctae trinitati,
Ut sanctus Dionysius,
Rusticus, Eleutherius
Servierunt unitati. | |

Brev. S. Barnardi de Romanis imp. in Romanis 1518. — 3, 1 creditur.

201. De ss. Dionysio, Rustico, Eleutherio.

In Laudibus.

- | | |
|--|---|
| 1. Laudemus dignos laudibus,
Condignos Christi pugiles,
Ut semper nostris precibus
Intenti sint et vigiles. | 4. Et pro quibus petierit
Beatus Dionysius,
Impetrabit, ut asserit
Benignus Dei filius. |
| 2. In fidei constantia
Permanentes viriliter
Tres socii supplicia
Sustinent aequanimiter. | 5. Ergo tua benignitas,
Puritas et dilectio,
Pie martyr, et caritas
Nos ditent tuo gremio. |
| 3. Muniti Christi gratia
Patiantur benigniter,
Perficiunt martyria
Armati fide fortiter. | 6. Deus, rerum perfectio,
Quo sanctus Dionysius
Coronatur martyrio,
Nobis esto propitius. |

- | | |
|---|--|
| <p>7. Tu, qui hunc per martyrrium
Adeptus es ad gloriam
Cum sociis, des gaudium
Nobis et caeli patriam.</p> | <p>8. Trinitati sit gloria
Supernorumque coetibus,
Nobisque detur venia
Trium martyrum precibus.</p> |
|---|--|

Brev. S. Barnardi de Romanis imp. in Romanis 1518.

202. De sancto Dominico.

In 2. Vesperis.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Ave, Dominice,
Rutilans lucerna,
Dux praedicatorum,
Caelestis pincerna.</p> | <p>4. Monstra te esse patrem,
Fove tuam prolem,
Ut clare cernamus
Iustitiae solem.</p> |
| <p>2. Sumens nostrum ave,
Pia mente fusum,
Tolle vae damnosum,
Dona cor suave.</p> | <p>5. Virgo gloriose,
Confer puritatem
Corporis et mentis
Ac sobrietatem.</p> |
| <p>3. Solve prece tua
Vincla pravitatis,
Nos coniunge Christo
Voto pietatis.</p> | <p>6. Vitae nos conforma
Gratiae caelestis,
Ut Iesu fruamur
Tecum pari forma.</p> |
7. Sit laus Deo patri,
Summum Christo decus,
Spiritus sancto
Trinus honor unus.

Hymn. ms. S. Petri Mart. Utinen. saec 16. Cod. Civitat. Utinen s. n.

203. De sancto Domnio.

Ad Vesperas.

1. Armoniae fidibus Domino
Carmina pangite melliflua,
Organa tangite melodica.
Ecce, dies celebris rutilat,
2. Dulcisonis iubilanda modis,
Qua ad Dominum properat Domnius,
Ut bravium referat caeleste,
Sanguine quod sibi quaesierat.

3. Aethera transmeat ad polica,
Agmina iam videt angelica,
Gaudia cum quibus almifica
Perpetuo meritis habeat.
4. Martyrio dedit articulos,
Curriculos spreuit aureolos,
Omnia carnis et illicita
Funditus expulit ut vacua.
5. Pyrgica verba philosophica
Ventilat, astruit et reputat,
Disputat, inicit atque probat,
Arte politus apostolica.
6. Abdita scripta theologica,
Physica protulit armario,
Pinguis et in ratione procax
Incipit et trutinans memorat.
7. Rhetoricam, Ciceronis opus,
Primitus obicit ut potius,
Hinc reserans tibi templa, Deus,
Ad species generale genus.
8. Inde parat nois argolicum
Dans laqueum sibi syllogicum,
Ut triplicet deitatis opus,
Quo viget ecclesiale decus.
9. Spiritus ancipiti gladio
Domnius armiger haud timidus
Platonicos revocat gemitus,
Proterit horridos strepitus.
10. In deitate gradus varios
Non reserans minus haud nimios,
Nam deitatis honor parilis
Semper adest, fuit et fuerit.
11. Unde sophistica dicta fugat,
Perfida contudit et iaculat,
Pyrgus at inde nihil valuit,
Namque perire magis placuit.
12. Sancte pater, pie pastor ovans
Ierusalem polis, aetheream
Attribue famulis patriam,
Caelica gaudia quo teneant.

13. Gloria multiplicata patri,
Laus sit et Emanuel Domino,
Spiritus decus atque sacro,
Qui modo id, quod erat, Deus est.

Brev. ms. Romanae Curiae anni 1318. Cod. Vatican. 6069. add. saec. 14/15. — 1, 2 Multisonis; falsche Initiale, gegen das Akrostichon. — 5, 1 Pirgica. — 11, 2 cum tundit. — 13, 3 Spirituque. — 13, 4 Quimo nos id quod in est decus est. — Akrostichon: Adam Parisius.

204. De sancto Domino.

Ad Laudes.

- | | |
|---|---|
| 1. Aurorae fulgur radiat,
Iubar Phoebi iam rutilat,
Cum dies festus emicat
Clara reducens gaudia. | 3. Athleta venerabilis,
Deo multum amabilis,
Largire tuis famulis
Bonis gaudere caelicis. |
| 2. Dignanter psallat hodie
Plebs tota regi gloriae,
Qui Domnium in aethere
Stolis ornat victoriae. | 4. Magna sit laus patri Deo,
Potestas unigenito,
Summa virtus paraclito
In tempore perpetuo. |

Brev. ms. Romanae Curiae anni 1318. Cod. Vatican. 6069. add. saec. 14/15. — Akrostichon: Adam. — Cfr. Anal. Hymn. XXII, Nr. 140.

205. De sancto Domino.

In 2. Vesperis.

1. Laudes eximias dignaque proelia,
Vexillum strenui militis excitat
Pangere, psallere, cum petat auream
Fuso sanguine lauream.
2. Almo lorificans pectora spiritu
Athletam fidei tegmine muniit,
Dextrâ lanceola fulgida praeclua
Spei viribus adiuvat.
3. Vadit praevalidus terror in hostibus,
Nam celsus meritis praeminet omnibus,
Quem Christi pietas firmiter innovat,
Ne miles suus excidat.

4. **Regis** summopere munia praebuit,
Hostiles acies undique terruit,
Cuius praesidio pervolat integer
Centenos simul ordines.
5. **Eventus** varii non timet exitus,
Nam cum Maurilius verbera acrius
Cordis saevitia praeparat, aggerat,
Durat, spernit et incitat.
6. Nam tendit superos visere caelicos,
Percurrens stadium fortiter anxium,
Turbat sacrilegum, respuit idolum,
Vir damnat pius impium.
7. **Tolli** Maurilius imperat acrius,
At Christi famulus sic petit horrida
Ac si delicias carceris abdita
Pro sola Iesu gloria.
8. **Instaurans** iterum proelia contumax
Sanctum Caesar eo carcere liberat,
Promittens onera, ut colat idola,
Sed martyr fugit, aurea.
9. **Vernans** stellivomo pastor in aethere,
Votivas preculas sedulus accipe,
Quas fundunt famuli suppliciter tibi,
Fac nos scandere sidera.
10. **Sublimi** Domino gloria, laus, honor,
Qui sanctos pugiles laureat, elevat,
Hostem dum superat roscido sanguine,
Regnans trinitas unica.

Brev. ms. Rom. Curiae anni 1318. Cod. Vatic. 6069. add. saec. 14/15. —
2, 2 Adlevam fidei. — 2, 3 Dexterā. — 4, 4 Centeno. — 7, 1 arius. —
7, 3 carceris obsita. — 8, 3 honora. — 8, 4 aurea zu onera zu ziehen. —
10, 3 roscidie. — 10, 4 unicās. — Akrostichon: Laurentius.

206. De ss. Septem Dormientibus.

- | | |
|--|--|
| 1. Mirum Dei praeconium
Canite, omnes populi,
De septem dormientibus,
Quorum festa celebramus. | 2. Iubens Decius idolis
Universos immolare,
Assunt septem Christiani
In Ephesi civitate. |
|--|--|

- | | |
|--|---|
| <p>3. Maximianus et Malchus,
Martianus, Iohannes,
Dionysius, Serapion,
Constantinus similiter.</p> <p>4. Hi vendunt patrimonia,
Distribuunt pauperibus,
Observantes ieiunia
Vacant orationibus.</p> <p>5. Accusantur imperio,
Diis nolle immolare
Confectoque consilio
Latent in monte Aelion.</p> | <p>6. Exin rabiens Decius
Iubet praedictos inquiri,
Malchus minister nuntiat
Haec medici formam sequens.</p> <p>7. Panis refecti per cibum
Plorant simulque condolent,
Sicut Deo complacuit,
In ecclesia dormiunt.</p> <p>8. Os speluncae obstruitur,
Obstructa diu permanet,
Rediens Malchus ad urbem
Miratur esse mutatam.</p> <p>9. Theodosio nuntiant
Advenisse Christianum,
Mira Dei pronuntians
Sanctis Dei congaudens.</p> |
|--|---|

Brev. ms. Ambrosianum saec. 15. Cod. Borgian. M II 20. — Doxol.:
Gloria tibi, Domine.

207. De sancta Dorothea.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Dorotheae collaudemus
Virtutum insignia,
Cordis ei praesentemus
Et oris obsequia,
Ut spe certa respiremus
Per eius subsidia.</p> <p>2. Fulva fide Dorothea
Iudicem Fabricium
Non formidat, sed in ea
Firmatur eloquium,
Insultante gente rea
Non horret supplicium.</p> <p>3. Verbis blandis tunc conatur
Virginem seducere,
Nec promissis superatur
Nec terretur verbere,
Compeditur, obserratur
Taetro clausa carcere.</p> | <p>4. Vas liquoris aestuantis
Athleta ingreditur,
Sed virtute hanc amantis
Fervore non laeditur,
Post haec plagis tot et tantis
Claro vultu caeditur.</p> <p>5. Caro sancta laceratur,
Fluit unda sanguinis,
In mamillis concrematur,
Furit ira praesidis,
Fuste caesa decollatur,
Iungitur mox caelicis.</p> <p>6. Dorothea, sponsa Christi,
Pro sponso humiliter
Quae tormenta pertulisti,
Petimus suppliciter,
Tutrix sis a clade tristi
Hic et aeternaliter.</p> |
|--|--|

7. Gloria sit, Iesu bone,
 Tibi nunc et iugiter,
 Qui certantes in agone
 Adiuvas fideliter
 Et mercedem das coronae
 Vincenti viriliter.

Brev. ms. S. Floriani saec. 12. [et 14]. Cod. Florian. XI, 384. add. saec. 15. — Brev. ms. S. Floriani saec. 13. Cod. Florian. XI, 477. add. saec. 14. B. — Brev. ms. S. Floriani saec. 14. Cod. Florian. XI, 316. C. — Brev. ms. S. Floriani saec. 15. Cod. Florian. XI, 402. D. — 2, 1 Multa fide ABCD; vgl. aber den Katharinenhymnus Katharinae collaudemus. — 2, 4 Famatur BCD. — 2, 5 Insultantes gentes A. — 3, 5 Expeditur A. — 3, 6 Retro clausa ABCD. — 6, 6 et fehlt. — Mit dem Anfange Fulta fide (2, 1) auch in Orat. ms. S. Petri Salisburgen. saec. 15. Cod. Petrin. a IV, 39; alle Strophen in direkte Anrede versetzt. Vgl. auch Anal. XXXIII, 73.

208. De sancto Drausio.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Exsultet iam fidelium
 Devota plebs astantium,
 Laudes Christo canentium
 Per patris huius meritum.</p> | <p>3. Audi voces clamantium
 Et te praesul rogantium
 Precesque, Drausi, suscipe
 Et, quae precamur, annue.</p> |
| <p>2. Ave, pater sanctissime,
 Salve, pastor dignissime,
 Et gregem tuum protege
 Ab hostili certamine.</p> | <p>4. Oramus, Deus omnium,
 Assume nos per Drausium
 Orantes te per filium
 Conregnantem per saeculum.</p> |

Brev. Coenobii S. Mariae Suessionensis imp. Parisiis 1533. — 4, 2 nos fehlt. — 4, 4 per saecula.

209. De sancto Dunstano.

- Salve, sancta dies, celebri dignissima laude,
 Qua, Dunstane pater, caelica scandis ovans.
 Quem transitivae nactum primordia vitae
 Gratia caelestis imbuit, excoluit.
5. Aeger divino medicamine consolidatus
 Cum tenui virga castra maligna fugas.
 Angelico ductu templi super ardua scandens
 Undique firmatum tendis in ecclesiam.
 Caelorum cives audis tibi coniubilantes
10. Et pacem patriae discis adesse tuae.
 Vox sonat e superis, quae te de pace quietis
 Edredi regis edocet, exhilarat.
 Daemon in effigie vulpis contritus et ursi
 Subdolus insidias tendit ubique tibi.

15. Per citharae cantum praenoscis, quid sit agendum,
Unde repente locum deseris atque habitum.
Spiriibus sanctis sociatus acumine mentis
Kyrie eleison eos coniubilare probas.
Ad templum noctu Domini genetricis euntem
20. Obvia cum sociis excipit ipsa parens.
Praecedunt binae versus modulando puellae,
Dulcis amor Christi personat ore pio;
Primus ad ima ruit magna de luce superbus,
Sic homo, cum tumuit, primus ad ima ruit.
25. Mox te spirituum sanctorum visitat ordo
Teque suum vocitans suadit adire Deum.
Iam vitae metas inducit corporis aetas,
Lactus et angelicis insereris cuneis,
Conduntur terris artus et spiritus astris,
30. Quo tibi pro meritis gloria perpes erit.
Tam sacer antistes, Christi reverende coheres,
Coniunctus superis auxiliare tuis.
Quod parit in nobis terreni fervor amoris,
Per te detergat castus amor, Domine.
35. Sic quoque vivamus, ut Chrito complaceamus,
Qui nos aeterna muneret in patria
Et faciat secum felices omne per aevum
Vivere, quo luctus non erit aut gemitus.
Quod pater et natus, quod nobis spiritus almus
40. Conferat, ipse, quod est, semper ubique manens.

Collect. ms. Cantuariense saec. 12. Cod. Coll. Corp. Christi Cantabrigen.
371. — Als Refrain nach jedem Distichon abwechselnd V. 1 und 2. —
Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

210. De sancta Elisabeth.

Ad Noct. et Laudes.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Elisabeth praeconia
Clerus depromat hodie,
Ut nobis donet praemia
<i>Splendor paternae gloriae.</i></p> | <p>4. Zelo magno concaluit,
Haec speculum munditiae
Placere tibi studuit,
<i>Magnae Deus potentiae.</i></p> |
| <p>2. Legem divinam meditans
Noxas abstersit scelerum,
Vana cuncta suppeditans,
<i>Conditor alme siderum.</i></p> | <p>5. Abiecto carnis nubilo
Commutat mundi aspera,
Magna cernit in iubilo
<i>Aeterna Christi munera.</i></p> |
| <p>3. In cuius nunc memoria
Abiectis pompis vilibus
Incundetur ecclesia,
<i>Exsultet caelum laudibus.</i></p> | <p>6. Beata Dei famula
Donis repletur spiritus,
Quam coronat in saecula
<i>A patre unigenitus.</i></p> |

7. **Ex Aegypti voragine**
Transit ad te cum gaudio,
Servivit tibi, Domine
Iesu, nostra redemptio.

8. **Trino Deo et simplici**
Laus, honor, virtus, gloria,
Prece praestet multiplici
Beata nobis gaudia.

Hymn. ms. S. Petri Mart. Utinen. saec. 16. Cod. Civit. Utinen. s. n. —
Vor 5, 1 „Divisio ad Laudes.“ — Mel.: Novum sidus emicuit.

211. De sancto Emigdio.

Ad Vesperas.

1. **Athletae Christi Migdii**
Nostri patris eximii,
Festum canamus, socii,
Clerus, plebes et populi.

4. **Hinc pulsus Romam petiit,**
Ubi tot signis claruit,
Quod velut solis radiis
Urbem implevit gaudiis.

2. **Germaniae provincia**
Gente natus ex inclita
Doctrinis liberalibus
Fulsit et spiritalibus.

5. **Divini verbi flumine**
Baptizans multitudinem,
Sed Tiberis in medium
Aras submersit daemonum.

3. **Gentilium vesania**
Pulsus venit Italiam,
Mediolanum petiit
Functus sacris misteriis.

6. **Inde venit ad Esculum,**
Ut salvet eius populum,
Quem acquisivit Domino
Suo sancto martyrio.

7. **Laus, honor, virtus, gloria**
Deo patri et filio,
Sancto simul paraclito
In saeculorum saecula.

Brev. ms. Romanae Curiae saec. 15. Cod. Vatican. 6255. A. — Officium
sanctissimi Martyris Migdii, episcopi Asculani metropolitani etc. imp. Anconae
(Bernardus Guerdus) 1522. B. — 1, 1 Emigdio A. — 2, 1 Germania A. —
6, 1 venit Esculum A; Asculum, am Rande B. — 6, 2 Quo salvet B.

212. De sancto Emigdio.

Ad Matutinum.

1. **Adplaudat ora Gallica,**
Qua sancta stirps producit,
Exsultetque Germania,
Ubi origo promitur.

3. **Hinc zelo flagrans Domini**
Paterna spernit praedia,
Praesul effectus numini
Sacra reddit compendia.

2. **Praesertim pange, Esculum,**
Patre dotatum Migdio
Auctori vota praesulum
In eius laudis studio.

4. **Salutis vere medicus**
Unda baptismi ulcera
Sermoneque mirificus
Curat morborum genera.

- | | |
|---|--|
| 5. Dogmatizantis populum
Huius caput exciditur,
In birro fert ad tumulum
Illud, qui caelo ducitur. | 6. Aedem, urbem et moenia
Sic, pater Migdi, visita,
Ut pulsa hinc ignavia
Concrescant Christo merita. |
|---|--|

7. Praestet hoc nati genitor,
Hoc genitoris genitus
Ac par utrique conditor
Paraclitus hoc spiritus.

Brev. ms. Romanae Curiae saec. 15. Cod. Vatican. 6255. A. — Officium S. Migdii imp. Anconae 1522. B. — 1, 2 sanctus A; sancto B. — 1, 3 Germanica B. — 2, 2 pagne A. — 2, 2 Emigdio A. — 3, 3 redit A. — 5, 3 Inbiro fertur A. — 6, 2 Emigdi. — 6, 4 Candescant Christi A. — 7, 1 haec A; hoc nobis genitor B. — 7, 3 Ac pariterque A. — 7, 4 Et paraclitus hic.

213. De sancto Emigdio.

Ad Laudes.

- | | |
|---|--|
| 1. Aeternae regi gloriae
Psalle, chorus fidelium,
Qui Migdio militiae
Se ipsum dat stipendium. | 4. Rupem rumpi, qua profluit
Unda aquae irrigua,
Qui Moysi promeruit,
Sequi iubet indicia. |
| 2. Hinc miles Christi praevis
Magnis fulget prodigiis,
Sic eius micat radius
Miris mundo suffragiis. | 5. Hic natos naufragii
Nota baptismi diluit,
Dum fluvio Polymii
Natam renatam induit. |
| 3. Daemonia in idolis
Eius succendunt merita
Succensisque a credulis
Christi coluntur monita. | 6. Offert se demum iuvenem,
Aureolam dum praevideat,
Pro Christo fundens sanguinem
Aeterna dona possidet. |

7. Praesta, pater, cum filio
Consolatorque spiritus,
A criminum contagio
Nos hic emundet funditus.

Brev. ms. Romanae Curiae saec. 15. Cod. Vatican. 6255. A. — Officium S. Migdii imp. Anconae 1522. B. — 1, 2 Psallat B. — 3, 3 Succensusque B. — 3, 4 colunt A. — 4, 1 Cupem rupi A. — 4, 2 aqua AB. — 5, 1 fehlt eine Silbe AB. — 5, 2 baptismo AB. — 6, 2 providet A. — 7, 1 Per te pater.

214. De sancto Emmeramo.

- | | |
|---|---|
| 1. Hymnus te decet, Domine,
In hoc saeculum labile
Qui pro salute hominum
Tuum misisti filium. | 2. Hic imaginem coici
Induit natus virgini,
Quo mortales invalidi
Caelestes possint fieri. |
|---|---|

- | | |
|---|---|
| <p>3. Unde sanctorum numerus,
Tibi soli notissimus,
Fortiter exterioris
Calcat vitia hominis.</p> | <p>7. Tum fidelis ut famulus,
Qui sibi erat creditus,
Thesaurum ad dominicum
Auctum reportans scrinium.</p> |
| <p>4. Quem Emmeramus inclitus,
Cuius festa percolimus,
Redegit in servitium
Ad sancta formans animum.</p> | <p>8. Pro alterius crimine
Secabatur durissime
Sicque effuso sanguine
In sinu sedit Abrahæ.</p> |
| <p>5. Hic dereliquit patriam,
Quam dicunt Aquitaniam,
Prius ibi oviculas
Tui pascens adavidas.</p> | <p>9. Nunc precamur, piissime
Creator rerum Domine,
Nostras eius oramine
Digneris noxas tergere.</p> |
| <p>6. Exin migrans in Noricam
Virque fortem provinciam
Eius te dante incolas
Fecit esse christicolas.</p> | <p>10. Laus tibi, pater optime,
Una cum sancto pneumate,
Ac tuo unigenito
Gloria sit perpetuo.</p> |

Collect. ms. Emmeramense saec. 11. Clm. Monacen. 14870. — „Item alius [hymnus] de sancto Emmeramo rithmice modulandus“, — Verfasser dieses Hymnus ist wohl Arnold von Vohburg. Dagegen ist der metrische Hymnus Christe cui iustos hominum favores nicht, wie Anal. XXIII, 169 nach Cheval. 2851 angegeben wurde, von Arnold, sondern, wie dieser ausdrücklich angibt, von Meginfred von Magdeburg. — Auch der Hymnus Meginfreds steht von der Hand Arnolds in Clm. 14870 ohne Abweichung von dem l. c. mitgetheilten Texte.

215. De sancto Erasmo.

1. Cunctorum plasmator, rerum causator,
Tu lenis martyrum dolorem dirum,
Dans ad caeli gyrum gaudium mirum.
2. Erasmum tu fulcis, solaris, dulcis;
Portentis et signis martyr insignis,
Miles maior dignis nec non benignis.
3. Anastasii natum, canis morsu stratum,
Dans vitae pristinae, sunt ubi minae,
Tu regnanti fine gaudens hinc sine.
4. Eius dicas mira, plebs, cordis lyra,
Fervens non afficit oleum, dicit
Ollae, sed nec icit, conspectu vicit.
5. Artuarii visus aspersus, divisus
Fuit, hunc suscitatur, ad vitam citatur,
Qui miris ditatur, suos invitat.

6. Oris atque mentis salutem petentis
Dum necessaria mors instat pia,
Cedit hinc furia hostium quia.
7. Ergo uni trino iubilum bino,
Praestet, ne nos naevum ad latus laevum
Locet, fugans saevum salvet in aevum.

Brev. ms. Pataviense saec. 15. Cod. Vindobonen. 1843. — Der Korrekturen waren so viele nötig, daß es am einfachsten ist, den entstellten Text der Hs. folgen zu lassen:

1. Cunctorum plasmatorum rerum futurum legis martyrum dolorum dirum dans ad caeli gyrum gaudium mirum.

2. Erasmum tu vlcis solaris et dulcis portentes et signis martyr insignis miles maior dignis nec non benignis.

3. Anastasii natum carnis morte stratum dans vitae pristinae sunt verbi minae tu regnanti sine gaudens hinc sine.

4. Eius Dei mira plebs cordis lyra fervens non afficit cum ut dicit ollae sed nec icit hunc suscitatur conspectu vicit.

5. Artuarii visis asperus dy visus fuit hunc suscitatur ad vitam citat qui minas dicas suos et multos.

6. Oris atque mentis salutem petentes dum necessaria mors inquam pia cedit hunc furia hostium quia.

7. Ergo vinterne iubilo vino praestent in saeculum ne nos ad lenum locans fugens senum salvet in aevum.

216. De sancto Erico.

Ad Vesperas.

- | | |
|--|--|
| 1. Adest dies laetitiae,
Fulget Erici gloria,
Rex et patronus Sueciae
Caeli petit palatia. | 4. Ministros rex magnificus
Cultus Dei multiplicat
Ut Salomon pacificus
Et templa reaedificat. |
| 2. Quem vernantem virtutibus
Sublimat sceptro regio
Plebs laeta cum principibus
Concordi desiderio. | 5. Scuto munitus fidei
Tela repellens hostium
Ad regnum Dei provehi
Meretur per martyrium. |
| 3. Maceratur ieiuniis
Sacrum sancti corpusculum,
Velaturque ciliciis
Hoc Christi tabernaculum. | 6. Per huius sancti merita,
Iesu, redemptor omnium,
Dimitte nobis debita
Et da perenne gaudium. |

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. 14^{1/2}. Cod. Dresden. A 182.
A. — Ant. et hymn. ms. Scarense saec. 14. [et 15]. Cod. Upsalen. C 422.
B. — Brev. Upsalense imp. Holmiae 1496. C. — Brev. Arosiense imp. Basileae 1513. D. — Brev. Lundense imp. Paris 1517. E. — Vgl. Klemming I, 91 u. f.

217. De sancto Erico.

Ad Nocturnum.

- | | |
|---|---|
| 1. Hymnum novae laetitiae
Nova deposcunt gaudia,
Martyr Ericus hodie
Nova potitur gloria. | 4. Agnellus innocentiae
Dum sustinet martyrium,
Deo placentis hostiae
Consummat sacrificium. |
| 2. Hic ut Elias impiam
Exponens se certamini
Expugnat idolatriam,
Zelans pro lege Domini. | 5. Sancti sacrato sanguine
Sua contingens lumina
Diu privata lumine
Illuminatur femina. |
| 3. Ecclesiam catholicam
Dilatat gentem Finnonum
Rex ad fidem dominicam
Trahens a cultu daemonum. | 6. Per huius sancti merita
Iesu, redemptor omnium,
Dimitte nobis debita
Et da perenne gaudium. |

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. 14/15. Cod. Dresden. A 182.
A. — Ant. et hymn. ms. Scarense saec. 14. [et 15]. Cod. Upsalen. C 422.
B. — Brev. Upsalense imp. Holmiae 1496. C. — Brev. Årosiense imp. Basileae 1513. D. — Brev. Lundense imp. Parisiis 1517. E. — Vgl. Klemming I, 92 u. f.

218. De sancto Erico.

Ad Laudes.

- | | |
|---|---|
| 1. Laudes ad laudes iungite,
Nec desit laus in laudibus
Pro novo Christi milite
Caeli coniuncto civibus. | 4. Novus David viriliter
Agens, dum mundo moritur,
Sanctam Sion feliciter
Regnaturus ingreditur. |
| 2. Obsidetur ab hostibus
Ascensionis tempore
Sanctus Ericus laudibus
Dei vacans summopere. | 5. Victor regnans in aethere,
Magnis fulgens miraculis,
Miro virtutum munere
Multis succurrit populis. |
| 3. Crucem sibi dominicam
Rex imprimens salubriter
Vadit contra maleficam
Catervam magnanimiter. | 6. Per huius sancti merita,
Iesu, redemptor omnium,
Dimitte nobis debita
Et da perenne gaudium. |

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. 14/15. Cod. Dresden. A 182.
A. — Ant. et hymn. ms. Scarense saec. 14. [et 15]. Cod. Upsalen. C 422.
B. — Brev. Upsalense imp. Holmiae 1496. C. — Brev. Årosiense imp. Basileae 1513. D. — Brev. Lundense imp. Parisiis 1517. E. — Vgl. Klemming I, 98 u. f.

219. De sancto Escillo.

Ad Vesperas.

- | | |
|--|---|
| 1. Iam dies adest celebris,
Nova resultant cantica,
Quia fugatis tenebris
Regnat fides catholica. | 3. Eskillus signis emicat
Ritus confutans gentium,
Christum auctorem praedicat
Et salvatorem omnium. |
| 2. Gaude, parens Britannia,
De tantae prolis munere,
Exsulta magis, Suecia,
De novo lucis sidere. | 4. Verbis, exemplis claruit
Saluti studens omnium,
Tandem mortem sustinuit
Migrans felix ad gaudium. |
5. Tibi sit laus et gloria,
Corona triumphantium,
Nos Eskilli prece pia
Duc ad caeli palatium.

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. 14/15. Cod. Dresden. A 182 A. — Ant. et hymn. ms. Scarense saec. 14. [et 15.]. Cod. Upsalen. C 422. B. — Brev. Stregnense imp. Holmiae 1495. C. — 3, 3 actorem B. — 5, 1 Sit tibi A. — Vgl. Klemming I, 104 u. f. — Verfasser dieses und der drei folgenden Hymnen Brynolphus I Scarensis.

220. De sancto Escillo.

Ad Nocturnum.

- | | |
|---|---|
| 1. Eskilli pro victoria
Gaude, mater ecclesia,
Christi suffulta gratia
Devota fac tripudia. | 3. In fide luxit omnibus
Per signa, per prodigia,
Mundum calcans sub pedibus
Manum misit ad fortia. |
| 2. Pius, devotus, humilis,
Vivendi formam praebuit,
In lege Dei docilis,
Verbis, exemplis claruit. | 4. Mors corporis contemnitur,
Dum Christi mors attenditur,
Vincit ergo, dum vincitur,
Magis vincit, cum moritur. |
5. Tibi sit laus et gloria.

Brev. Stregnense imp. Holmiae 1495. — Vgl. Klemming I, 105 u. f.

221. De sancto Escillo.

Ad Nocturnum.

- | | |
|--|--|
| 1. Ad laudem sancti praesulis
Et venerandi martyris
Totis psallamus viribus
Hunc invocantes precibus. | 2. Eskillus, praesul inclitus,
Diebus atque noctibus
Flexis oravit genibus
Pro perfidis gentilibus. |
|--|--|

- | | |
|---|--|
| 3. Instruxit Sudermanniam,
Ut sperneret perfidiam,
Et per Christi clementiam
Bapsismi dedit gratiam. | 4. Cum praedicaret filiam
Mariae unigenitum,
Conversa est ad Dominum
Magna turba gentilium. |
|---|--|

5. Tibi sit laus et gloria.

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. 14/15. Cod. Dresden. A 182.
A. — Ant. et hymn. ms. Scarense saec. 14. [et 15.]. Cod. Upsalen. B 422.
B. — Brev. Strengnense imp. Holmiae 1495 C. — 2, 3 und 4 umgestellt B. —
4, 1 Dum BC. — 5, 1 Sit tibi A. — Der Hymnus steht „ad Laudes“ BC.

222. De sancto Escillo.

Ad Laudes.

- | | |
|---|--|
| 1. Summi praecepta Domini
Contempserunt malevoli
Et necem suo praesuli
Paraverunt increduli. | 3. Indulge, ait, insciis,
Pater, dimitte vitia,
Christe, emundes crimina
Collata indulgentia. |
| 2. Percussus est lapidibus
Eskillus sicut Stephanus
Et sic pro occisoribus
Deum orat humillimus. | 4. Dei martyr egregie,
Pro nobis Deum postula,
Ut hunc queamus colere
In sempiterna saecula. |

5. Tibi sit laus et gloria.

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. 14/15. Cod. Dresden. A. 182.
A. — Ant. et hymn. ms. Scarense saec. 14. [et 15.]. Cod. Upsalen. C 422.
B. — Brev. Strengnense imp. Holmiae 1495. C. — 1, 3 Necemque A;
sancto praesuli B. — 2, 1 Percussus cum lapidibus A. — 2, 3 Et fehlt A. —
2, 4 rogat A; humilior C. — 3, 1 ait vitiis C. — Doxol. fehlt A. — Vgl.
Klemming I, 115 u. f.

223. De sancto Eucharistia Tullensi.

- | | |
|---|---|
| 1. Alma mater ecclesia
Sollemnizet in gaudio,
Totaque Lotharingia
Digne psallat Eucharistia. | 3. Hic illustrem Eliphium
Fratrem germanum habuit,
Qui per fidei radium
In urbe Leuca claruit. |
| 2. Hic ex clara progenie
Claram traxit originem,
Imitatus cottidie
Parentum sanctitudinem. | 4. Hi duo clari moribus
Cum sorore Libaria,
Susanna, Menna plebibus
Dati sunt in solacia. |

- | | |
|--|---|
| <p>5. Ipsorum pater Baccius,
Mater Lientrudis dicitur,
Quorum proles uberius
Deo devota noscitur.</p> | <p>7. Iulianus apostata
Sacrum caput Eucharii
Sacra contemnens dogmata
Truncavit ictu gladii.</p> |
| <p>6. Sanctum tamen Eucharium
Ac virtutum opificem
Urbs Grandis et confinium
Habuit in pontificem.</p> | <p>8. Sic necavit Eliphium
Ac sororem Libariam;
Non evadens iudicium
Hos transmisit ad gloriam.</p> |
9. Patri, nato, paraclito
Laus, honor, virtus, gloria,
Qui nos sanctorum merito
Perducat ad caelestia.

Brev. Tullense imp. Parisiis (Rad. Sutor) 1510. A. — Brev. Tullense imp. Parisiis (Higman) 1511. B. — Brev. Tullense imp. Mussiponti 1595. C. — 3, 4 Leucha AC. — 4, 4 solacio A. — 9, 4 Perducit ABC.

224. De sancto Eunufrío.

Ad Nocturnum.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Anachoritae colimus
Eunufríi sollemnia
Eiusque vitae pangimus
Virtutes et praeconia.</p> | <p>4. Decorem Dei diligens
Domus et locum gloriae,
Pauper, caelebs, oboediens
Coenobitarum serie.</p> |
| <p>2. Beata caeli gaudia
Hoste calcato fortiter
Iam possidet in patria
Cum angelis perenniter.</p> | <p>5. Etate puer docilis
In lege Dei meditans,
Virtute sed mirabilis
Antra deserti flagitans.</p> |
| <p>3. Caelesti regi famulans,
Spretis mundi deliciis
Caduca cuncta superans,
Fultus Dei subsidiis.</p> | <p>6. Fructu fecundo praeditus,
Baptistae Christi similis,
Heliae compar inclitus,
Vir vitae venerabilis.</p> |
7. Gloriam laudis inclito
Patri prolique genitae
Canamus et paraclito
In eius sancto milite.

225. De sancto Eunufrio.

Ad Laudes.

- | | |
|---|--|
| 1. Heremitarum speculum,
Eunufrium in nemore
Praesidium angelicum
Tutatur omni tempore. | 4. Latex e fonte pervio
Arentem siti reficit,
Non temeti contagio
Cupido sanctum inficit. |
| 2. Inopia praedivitem
Dono divinae gratiae
Reddit et leti praesidem
Sternit cum sordis acie. | 5. Mellis ut in dulcedine
Depellitur esuries,
Herbarum vivit germine
Lustro peracto sexies. |
| 3. Karni virtute sedula
Deserti cultor obviat
Parva monstrata cellula,
In qua Deo deserviat. | 6. Nudus capillo tegitur,
Taeter, iucultus, horridus,
Sed spiritu decernitur
Pulcher, clarus et splendidus. |

7. Gloriam laudis inclito.

Pontif. ms. Paulanorum saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 502. — 3, 1
Karo. — 3, 2 oviat. — 5, 3 Herbarum viri.

226. De sancto Eunufrio.

In 2. Vesperis.

- | | |
|--|---|
| 1. O decus sanctimoniae,
Bis terno lustro pascaris,
Panis emissi fragmine
Datore grati muneris. | 5. Sanctorum inter agmina
Christo duce cum laudibus
Velut columba candida
Transfertur caeli civibus. |
| 2. Per diem certum sumitur
Christus sacramentaliter,
Miro modo sed colitur
A sancto viro iugiter. | 6. Te tumultatum novimus
Leone per Pamphnutium;
Christum, te prece petimus,
Da iudicem propitium |
| 3. Quando collega cernitur,
Panis defertur integer,
Caeli ministro sumitur
Pia cum laude pariter. | 7. Venturum et tis memores
Ab omni malo liberes
Et praepares in patria
Beata nobis gaudia. |
| 4. Reddens beatum spiritum
Fulgenti vultu cernitur
Orans, ad eius obitum
Mirus odor exoritur. | 8. Xristo nato sit gloria,
Summo patri cum flamine
Sancto, nobisque venia
Detur in sui nomine. |

Pontif. ms. Paulanorum saec. 15. Cod. Vatican. Ottob. 502.

227. De ss. Euphemia, Thecla, Dorothea, Erasma.

Ad Nocturnum.

1. Virginum Christo celebrare festum
Cordibus rectis satis est honestum,
Quas dies praesens decorans sacrata
Duxit ad astra.
2. Spiritu fretae Domini sorores
Praesidis nullos trepidant furores,
Sed Deo sponso sociare student
Caelibem vitam.
3. Praesul has sanctus monet Hermacoras,
Patruas castas vocat ad coronas,
Unde laetanter subeunt flagella
Mente quieta.
4. Ungulae, virgae, manicae, catenae,
Laminae, restes, genus omne poenae,
Torquet athletas tibi consonantes,
Rex pie, laudes.
5. Praeses ut vidit vacuae minari,
Iussit his tandem caput amputari,
Quas pater saevus ferit ense stricto
Daemone plenus.
6. Virgines lotas roseo cruore,
Praemio comptas duplicis coronae,
Suscipit sponsus, speciosus agnus,
Immaculatus.
7. Ergo quae caeli subiistis arcem,
Regis aeterni thalamo locatae,
Omnium nostrum super astra ferte
Vota precesque.
8. Gloria patri genitaeque proli
Et tibi, compar utriusque semper
Spiritus alme, Deus unus omni
Tempore saeculi.

Hymn. ms. S. Petri Mart. Utinen. saec. 16. Cod. Civitat. Utinen. s. n. —
1, 1 Virginis. — 3, 2 Patruos. — 4, 1 Anglie virgae. — 4, 2 Laminae peste. —
5, 1 Praeses ut iussit.

228. De sancto Eustachio.

In 1. Vesperis.

- | | |
|--|---|
| 1. Adplaudat plebs fidelium,
Dei collaudet filium,
Qui beatum Eustachium
Vocat ad caeli solium. | 4. Regem laudat caelestium,
Cultum damnat gentilium,
Vir et sponsa cum filiis
Exponuntur suppliciis. |
| 2. Dolet amore filiis
Spoliatus eximiis,
Martyr subit exilium
Solum relinquens proprium. | 5. Aeterni Dei filius
Assit nobis propitius,
Nos Eustachii precibus
Defendat a nocentibus. |
| 3. Demum volente Domino
Functus honore pristino
Gaudet uxore propria
Reperta cum prosapia. | 6. Deo patri sit gloria,
Qui moderatur omnia,
Eiusque soli genito
Cum spiritu paraclito. |

Brev. Lemovicense imp. Lemovicis 1495. — 1, 3 Eustochium.

229. De sancto Eustachio.

In Laudibus.

- | | |
|---|---|
| 1. Eustachii collaudemus
Virtutum praeconium,
Cordis ei praesentemus
Et oris obsequium,
Ut ad eius penetremus
Beatum consortium. | 4. Christum supplex deprecatur
Postulans auxilium,
Ros descendit, suffocatur
Subiectum incendium,
Stat illaesus, concrematur,
Consummat martyrium. |
| 2. Christi servus baptizatur
Cum uxore propria,
Nec ab eo separatur
Inclita prosapia,
Deum laudat, detestatur
Simulacra noxia. | 5. Martyr pie, pietatis
Mira vernans gratia,
Post tantae calamitatis
Praesentis dispendia
Ad supernae claritatis
Nos ducas palatia. |
| 3. Imperator agitur
Doloris aculeo,
Martyr cum suis damnatur
Bove clausus aereo,
Ut fervore consumatur,
Exponitur igneo. | 6. Sit laus summo genitori,
Perenni ingenito,
Una Christo redemptori,
Patris unigenito,
Par decus consolatori,
Inclito paraclito. |

Brev. Lemovicense imp. Lemovicis 1495.

230. *sancto Eustachio.*

- | | |
|--|---|
| 1. Palma canentes martyris
Egregii Eustachii
Oremus illum seduli,
Ut intercedat pro nobis. | 4. Quos Placidus rapi videns
Leonis ac lupi ore,
Cupit submergi flumine,
Nam coniunx rapta nautis est. |
| 2. Qui gliscens cervum capere,
Quem cursitans secutus est,
Venator praeda facta est,
Nam Christi reti captus est. | 5. Romani dux exercitus
Orbatus colit hortulum,
Ubi suis militibus
Cicatrix fecit cognitum. |
| 3. Mox decoravit nobilem
Domum baptismi munere
Et omnia derelinquens
Natos cum coniuge defert. | 6. Coactus Romam rediens
Invenit raptam coniugem
Simul cum suis filiis,
Quos Deus morte eripuit. |
7. Quos conditos christicolae
Adriani ira pessima
Iussit mori in aereo
Bove ardente nimum.

Brev. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Archiep. Utin. Oct. 10. A. —
Brev. ms. Civitatense anni 1476. Cod. Civitat. LXXIV (28) B. — Antiph.
ms. Civitatense saec. 15. Cod. Civitaten. XLIV. C. — 1, 1 Palma ovantes
A. — 3, 3 Et fehlt A. — 4, 1 Placida AB.

231. *De sancta Eustella.*

In 1. Vesperis.

- | | |
|--|--|
| 1. Pangere cantica laetitiae
Martyris annua Xantonicae
Nos celebris monet ista dies,
Xantona virginis est requies. | 4. Dum Sodomis pater ipse manet
Mentis et abdita virgo tenet,
Eutropii comes assidua
Postulat, infidus ut sapiat. |
| 2. Regibus edita Xantonice
Diluit ethnica nata sacris
Crimen aquis, Deus ut statuit
Praesul et Eutropius docuit. | 5. Rex cupit anxius, ut redeat,
Vile tumens pater hanc revocat,
Dumque fide manet in dubia,
Eutropium ferus ense necat. |
| 3. Hanc pulit impius urbe parens,
Iesus adest cito compatiens,
Quamque suam probat esse, suus
Sacrat apostolus Eutropius. | 6. Virtus honor sit et imperium,
Christe redemptor, et obsequium
Grata tibi tua Xantonia
Praestet et officiosa canat. |

Brev. Xantonense imp. Pictavii 1542.

232. De sancta Eustella.

In Laudibus.

- | | |
|--|--|
| <p>1. En, orta stella Xantones
In orbe lucidat duces,
Diu fuit recondita
Puella, martyr inclita.</p> | <p>3. Eustella vi neci datur,
Et ense rex pater neeat,
Digna Deo sic laetatur
Virgo, proles Xantonica.</p> |
| <p>2. Virum pudica nesciens
Deo dicata continet
Et idolis renuntians
Regis minas nihil pavet.</p> | <p>4. Parentis odit errores,
Fidem probat credentium,
Patris mores fugit leves,
Opes amat fidelium.</p> |
5. Honor, salus, potentia
Iesu sit atque gloria,
Qui famulis reluceat
Eustellae per suffragia.

Brev. Xantonense imp. Pictavii 1524.

233. De sancto Evurtio.

Ad Vesperas.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Gratuletur ecclesia
Laudans Christi clementiam,
Evurtii sollemnia
Colat agens melodiam.</p> | <p>4. Trium dierum spatio
Baptizat septem milia
Paganorum cum gaudio
Relicta idolatria.</p> |
| <p>2. Urbem Romanam exiens
Directus est ad Galliam,
Aurelianis veniens
Praesul fit hic per gratiam.</p> | <p>5. Praesul fundat basilicam,
In qua manum dominicam
Vidit sanctus Baudelius,
Dum sacraret Evurtius.</p> |
| <p>3. Ad beatum Evurtium
Currit turba gentilium
Et ad baptismum properat,
Ut sic errores deserat.</p> | <p>6. Globis ignis furentibus,
Cunctis adhuc currentibus,
Opem plenus virtutibus
Urbi dedit et civibus.</p> |
7. Ergo Deo sit gloria,
Quem precemur, ut venia
Nobis data in patria
Aeterna donet praemia.

Offic. ms. S. Evurtii Aurelian. saec. 15. Cod. Vatican. Reg. 623.

234. De sancto Evurtio.

Ad Matutinum.

- | | |
|---|--|
| 1. Patris aeterni genitum
Poscamus atque spiritum,
Paraclitum ut hodie
Nobis munus det gratiae. | 4. Qua inventa pecunia
Praesul carens malitia
Augusto misit omnia
Uti volens iustitia. |
| 2. Sanctus praesul Evurtius
Hic prudens et egregius,
Custus vixit et sobrius,
Semper crescens in melius. | 5. Pie pater et humilis,
Naturae memor fragilis,
Conventum tuum sustine
In huius vitae turbine. |
| 3. Aurum invenit positum
In terra et absconditum
Vir sanctus Dei munere,
Dum coepit terram fodere. | 6. Ergo Deo sit gloria,
Quem precemur, ut venia
Nobis data in patria
Aeterna donet praemia. |

Offic. ms. S. Evurtii Aurelianen. saec. 15. Cod. Vatican. Reg. 623.

235. De sancto Evartio.

Ad Laudes.

- | | |
|---|---|
| 1. Evurtii sollemnia
Orbe florent sancti diva,
Aurelianis floride
Sollemnizantur abunde. | 5. Mori die dominica
Anianum prophetica
Praesulem, voce caelica
Sic coruscant miracula. |
| 2. Evurtius mox gratia
Pontifex Dei gloria
Constitutus clementia
Praedixit hinc prodigia. | 6. Corpus eius decentius
A Stephani ecclesia
Cum referretur brevius,
Grandis oritur pluvia. |
| 3. Ignis ingens urbe coepit,
Plebs nobilis fere saevit,
Praesul orans, cedit flamma,
Exstinguitur prorsus cauma. | 7. Baiulos neque tetigit,
Ferentibus lux refulsit,
Post transitum perpetuis
Decoratur miraculis. |
| 4. Gratulatur cum gaudio
Praesentatis eloquio
Annos temporis spatio
Post fratribus quadraginta. | 8. Ergo Deo sit gloria,
Quem precemur, ut venia
Nobis data in patria
Aeterna donet praemia. |

Offic. ms. S. Evurtii Aurelian. saec. 15. Cod. Vatican. Reg. 623. —
3, 3 sedit.

236. In Translatione s. Evurtii.

Ad Vesperas.

- | | |
|---|---|
| 1. <i>Conditor alme siderum,</i>
Laus et honor sacerdotum,
Emunda sordes scelerum
Per praesulis antidotum. | 4. <i>Cuius forti poeentia</i>
Elementa oboediunt,
Et verba sapientiae
Infideles erudiunt. |
| 2. <i>Qui condolens interitu</i>
Perire Aurelianos
Suo grato intuitu
Evurtium misit ad nos. | 5. <i>Te beprecamur, hagio,</i>
Ut nos a malis liberes,
Et virtutis egregiae
Propina fructus uberes. |
| 3. <i>Vergente mundi vespere</i>
Evurtius eligitur
Et clausis culpae carcere
Aurelianis mittitur. | 6. <i>Patri, proli ac flamini</i>
Sit laus et iubilatio,
Qui nos sanctorum agmini
Coniungat cum Evurtio. |

Offic. ms. S. Evurtii Aurelianen. saec. 15. Cod. Vatican. Reg. 623. —
3, 3 clausit. — Die gesperren Verse aus dem Hymnus Conditor alme
siderum.

237. De sancto Evurtio.

Ad Nocturnam.

- | | |
|--|---|
| 1. <i>Pange, lingua, gloriosi</i>
Evurtii merita,
Hominis tam virtuosi
In morte et in vita,
Cuius actus feriosi
Gesta probant inclita. | 4. <i>Verbum vitae praedicavit</i>
Cum exemplis ceteris
Ac subditos confortavit
Verbo, vita, literis,
Ac devotos collocavit
Cum civibus superis. |
| 2. <i>Nobis datum in pastorem</i>
Veneremur supplices,
Requiramus protectorem
Contra hostis obices
Et habeamus ductorem,
Ubi manent felices. | 5. <i>Tantum ergo pontificem</i>
Honoremus amantes,
Qui supra caeli verticem
Videt sanctos laetantes
Ac omnium artificem
Sine fine laudantes. |
| 3. <i>In supremo vitae fine</i>
Praedicavit fratribus,
Ut observent legem plene
Cum aliis fidelibus,
Ut fructu aeternae cenae
Pascantur cum ovibus. | 6. <i>Patri, nato, procedenti,</i>
Trinitati eminenti
Honor cum laude decenti
Sit et benedictio,
Qui nos in regno fulgenti
Locet cum Evurtio. |

Offic. ms. S. Evurtii Aurelianen. saec. 15. Cod. Vatican. Reg. 623. —
1, 5 feriori.

238. De sancto Evurtio.

Ad Laudes.

- | | |
|---|---|
| 1. Iesu, salvator saeculi,
Sublimasti Evurtium
Dignitate miraculi
Pro salute credentium. | 4. Ignis vorans urbem vastat,
Sed dum sanctus Evurtius
In oratione perstat,
Exstinguitur velocius. |
| 2. Successor Desiniani
Fuit sanctus Evurtius,
Qui virtutes Aniani
Publicavit apertius. | 5. Vixit in episcopio
Lustris quatuor integris,
Sed semper affectu pio
Moribus medetur aegris. |
| 3. Nam per ipsius media
Fraenantur homicidia,
Et repelluntur odia,
Accumulantur gaudia. | 6. Decora sit laudatio
Deo atque Evurtio,
Et hymnorum servitio
Servetur nostra contio. |

Offic. ms. S. Evurtii Aurelianen. saec. 15. Cod. Vatic. Regin. 623. —
3, 2 repellantur. — 4, 4 Exstinguntur. — 5, 1 Dixit.

239. De ss. Fide, Spe et Caritate.

Ad Vesp. et Noct.

- | | |
|---|---|
| 1. Christe, decus, honor, virtus
atque sponsus virginum,
Preces, votum atque hymnum
suscipe clementius,
Quem decantat famulorum
coetus tibi cernuus. | 4. Praesta, Christe, quod sit nobis
gloriosa genetrix
Puellarum, quae resplendent
nomine et meritis,
Oratrix apud te pia
pro reatu criminis. |
| 2. In hac die, qua sanctarum
celebramus virginum
Fidei, Spei, Caritatis
insigne martyrium
Et Sophiae matris harum
pretiosum obitum. | 5. Impetretque sancta Fides
fidem invictissimam,
Sancta Spes vitae aeternae
spem gaudenter tribuat,
Geminamque caritatem
ferat sancta Caritas. |
| 3. Harum formam Adrianus
non valens eximiam
Provocare, ut Dianam
adorent spurcissimam,
Igni, ferro mox funesta
delevit saevitia. | 6. Praesta, pater, praesta, fili,
praesta, sancte spiritus,
Quod precamur harum nobis
per sanctarum meritum,
Cui laus est et potestas
per aeterna saecula. |

Brev. ms. Cadurcense saec. 14. Cod. Voravien. 77 [157].

240. De ss. Fide, Spe et Caritate.

Ad Laudes.

- | | |
|--|--|
| 1. Trine Deus atque une,
laudes tibi pangimus,
Qui sub typo trinitatis
in virtutum trivio
Fidem, Spem et Caritatem
ordinasti virgines. | 3. Felix dies, quae germanas
has in lucem protulit,
Felix terra, quae tantarum
renitet pignoribus,
Felix chorus angelorum
fulgens his lampadibus. |
| 2. Harum mater consequenter
dicta Sapientia,
Laeta mater ex proventu
felix trinae sobolis,
Quae virtutes gerunt mente,
quas gerunt in nomine. | 4. Vos precamur, almae Christi
virgines et martyres,
Cum parente, quae vos digna
fuit tales gignere,
Ut oretis apud Deum
pro nostris sceleribus. |
| 5. Sit laus omni creatori,
qui vos tales edidit,
Decus soli, decus poli
et decus mortalium
Nunc et semper et in cunctis
saeculorum saeculis. | |

Brev. ms. Cadurcense saec. 14. Cod. Voravien. 77 [157].

241. In translatione s. Fidis.

1. O quam laeta dies emicat ista,
Agennis nec erit tristior ulla,
In qua virgo Fides martyr et ipsa
Servis plena suis gaudia praestat.
2. Nobis tam salubris nulla refluit,
Quam translata Fides virgo sacravit,
Cum nostras voluit visere Conchas,
Sedem quasque sibi deligit ipsa.
3. Iota rite die carmine laudes
Conchacensis ei contio cantet,
Ut, quae praesto manet corpore praesens,
Nobis auxilio non sit et absens.
4. Supra quam valeat lingua profari,
Praeclari meriti maxima martyr,
Nostrae percipias cantica laudis,
Per te spem gerimus posse iuvari.

5. Quam pulchra facie virgo fuisti,
Tu plus pulchra fide sed nituisti,
Inter caelicolas unde refulges,
Multos despiciens inferiores.
6. Ardens perpetui regis amore,
Multis virginibus visa praeesse,
Sponso celsithrono basia figis
Amplexumque tenes, quem coluisti.
7. Duc nos respiciens arce polorum,
Vultum verte tuum, virgo, serenum
Dignerisque tuum visere templum,
Corpus, quod proprium continet alnum.
8. Ex hoc, virgo, loco noxia pellas,
Hunc et perpetuo munere serva,
Ut secura quies nocte dieque
Nos semper foveat, poscimus et te.
9. Praepollens meritis martyr ubique,
Te pronis petimus mentibus, ecce,
Ut te pro famulis subveniente
Possit nostra Deo vita placere.
10. O virgo rutilans laude perenni,
Sponsi valde potens munere Christi,
Da virtute tua prospera cuncta
Oratuque tuo crimina purga.
11. Virtus subsidium sit tua forte,
Si quos auxilio constat egere,
Illos et validis viribus auge,
Ne sese doleant succubuisse.
12. Solamen miseris sis quoque firmum,
Quos sors dura premit mole malorum,
Tristis quosque tenet sollicitudo,
Adversis laqueis eripe, virgo.
13. Adiutrix tua sit dextera praesens,
Praestans, quae bona sunt, aspera pulsans,
Conservans placidos frange rebelles
Et tutata pios contere fontes.
14. Attendisse velis vota tuorum,
Ipsis quidquid inest, tolle nocivum,
Mentis pelle metus, gaudia praebe,
Pestis possit eos nulla nocere.

15. Si nos, quam satis est, deseris ultra,
Non spes auxilii nos habet ulla;
Ut nos respicias, ergo precamur,
Magnum namque tuum posse fatemur.
16. Sanctus vix aliquid praevalet ullus,
Non implere valet quod tua virtus,
Excepta Domini matre Maria
Est tam virgo potens cognita nulla.
17. Quos gaudere facis, virgo perennis,
Translatu proprii corporis almi,
Viventes et in hoc protege saeclo
Post et nos tribuas vivere caelo.
18. Illustris suboles, inclita Fides,
Cum Christo tibi sit gloria perpes,
Nostri cura tibi sit specialis;
Ergo coetus Amen personet omnis.

Passionale ms. Conchense saec. 11 ex. Cod. Selestadien. 95 (1187). — 12, 2 Quo. — 16, 3 Exspectat Domini mater. — 17, 4 nos fehlt. — 18, 3 sit fehlt. — Überschrift „Versus de eadem translatione.“

242. De sancta Fide.

1. Mare, fons, ostium, portus, asylum,
Corona martyrum, factor bonorum,
A te bona fluunt, ad te recurrunt.
2. Virgo, flos virginum, Fides, sanctarum,
Mercans consortium passa piorum,
Sponso prompta locum intrat sapientum.
3. Gaudet laetitia lux hodierna,
Mundi per climata signis ornata,
Poscunt plebis vota iustis profutura.
4. Preces, sponsa Christi, horum exaudi,
Pondus quos proprii premit delicti,
Fac, ut sint soluti laudentque redempti.
5. Sit laus Deo patri patris et proli
Sanctoque spiritui, compari in omni,
Potestate Dei per tempora saeculi.

Hymn. ms. Sangallense saec. 15. Cod. Sangallen. 16. — 4, 1 huius exaudi.

243. De sancta Fortunata.

Ad Vesperas.

- | | |
|---|--|
| 1. Fortunata amabilis
Et virgo Christi nobilis
Reliquit mundi terminos,
Conscendit caelos arduos. | 7. Cunctisque admirantibus
Donatur serrae dentibus,
Virgo Christi iuvencola
Remansit sine macula. |
| 2. A sua pueritia
Sequens Christi vestigia
Renuntiatis omnibus
Resplendet in caelestibus. | 8. Bestiarum datur unguibus,
Ut devoretur dentibus,
Inclinatis cervicibus
Tradit se Dei nutibus. |
| 3. Non dilexit terrestria
Nec blandimenta mollia,
Sed pergens ad supplicia
Pro Christo horribilia. | 9. Sententiatur denique,
Ut abscindatur capite,
Virgoque flectit genua,
Penetrat caeli limina. |
| 4. Ut mereretur ingredi
Thalamum regis, avidi
Non timuit tyrannidem
Adversam et immanidem. | 10. Sic virgo Christi inclita,
Sequens Christi vestigia,
Tormenta terribilia
Portavit multa milia. |
| 5. Carceratur, custoditur,
Decalvatur, sic trahitur,
Fitque ad ignominia
Pro cultus verecundia. | 11. O virgo Christi nobilis,
Esto nostra advocatrix
Apud Deum altissimum,
Quo ducat nos ad bravium. |
| 6. Facto Christo precamine
Angelico iuvamine
Alba veste induitur,
Corpus sic cooperitur. | 12. Sit Deo patri gloria,
Sit filio victoria,
Honor sit sancto flmini
Per saecula laudabili. |

Offic. ms. SS. Fortunatae et Gaudiosi saec. 16. Cod. Vatic. Regin. 1794.
A. — Offic. S. Fortunatae virginis et S. Gaudiosi episcopi et confessoris.
Imp. Neapoli (apud Cacchium et socios) 1568. B. — Statt 2, 4 in A folgende drei Zeilen:

Caelestis mansionibus
Introiensque fulgida
Resplendes sicut sidera.

4, 4 Minantem, mugitum dantem A. — 5, 3 Fit ei ignominia B. — 5, 4
Ad caelorum scrutinia. B. — 6, 1 Christi AB; precamina A. — 6, 4 Eius
corpus sic tegitur B. — 8, 1 Datur bestiarum A. — 9, 2 absindatur A. —
9, 3 flecti A. — (Str. 10 fehlt B.) — 10, 2 Sequi A. — 10, 4 Portavi A. —
11, 2 Sis pro nobis immobilis B. — 11, 4 Qui B; ducat nos te bravium A. —

244. De sancta Fortunata.

Ad Matutinum.

1. Virginis sacrae Fortunatae festa
Mente devota celebremus omnes,
Inclitos eius simul ac triumphos
Rite canamus.
2. Haec Dei legem meditando semper,
Hic via matris fugiendo cultus
Iudicis saevi meruit feroces
Vincere poenas.
3. Ferream serram superavit audax,
Carceris caecas tenebras famemque
Atque per talos tenebrata pendens
Pectore forti.
4. Bestiae saevae rabie remota
Membra sacrata laniare mutant,
Sed cito pronae pedibus beatis
Oscula praebent.
5. Regna spondendo placite polorum
Ethnicos multos tenebris ligatos
Gratiam Christi fideique lucem
Cernere fecit.
6. Post triumphatos varios agones
Fratribus ternis celebrando virgo
Sanguinem fundens penetravit alma
Celsa polorum.
7. Unde devoti, nimium beata,
Quae Christum potes precibus precare,
Cuncta quo nobis famulis relaxet
Crimina clemens,
8. Quo tuis sanctis meritis redempti
Nullus ex nobis pereat fidelis,
Sed Dei regnum mereamur omnes
Scandere laeti.

9. Gloria patri resonemus omnes
 Et tibi, Christe, genite superne,
 Cum quibus sanctus simul et creator
 Spiritus regnat.

Offic. ms. ss. Fortunatae et Gaudiosi saec. 16. Cod. Vatican. Regin. 1794. A. — Offic. ss. Fortunatae et Gaudiosi imp. Neapoli 1568. B. — 1, 1 fortunata festa AB; der Eigennamen stört an dieser Stelle das sonst beobachtete Metrum. — 2, 2 Haec. B. — 3, 3 tales B. — 4, 2 mitant A. — 6, 1 varias A. — 7, 2 Quibus Christum AB; potes fehlt A. — 7, 3 Cunctaque AB; relaxat A. — 9, 1 patri genitaeque proli A. — 9, 2 Et tibi compar A; das weitere fehlt A.

245. De sancta Fortunata.

Ad Laudes.

- | | |
|--|--|
| 1. Fortunata, florens gratia,
Forma facta humilium,
Sortis consors sublimium,
Iesu corona virginum. | 4. Qui Fortunatae erogat
Devotionis gloriam,
Mereatur conscendere
Ad caeli vere ardua. |
| 2. Qui pascis inter lilia,
Carnem mundumque conterens,
Hostes malignos proterens
Lauream victor meruit. | 5. Quae flores florum prodiit
Principi huius saeculi,
Digne precetur Dominum
Pro nostris facinoribus. |
| 3. Quocumque pergunt, virgines
Fugantque extra daemones,
Dignae sunt ad caelestia
Hae pervenire gaudia. | 6. Trino Deo et simplici
Laus, honor, virtus, gloria,
Qui Fortunatam condidit,
Ducat nos ad magnalia. |

Offic. ms. ss. Fortunatae et Gaudiosi saec. 16. Cod. Vatican. Regin. 1794. A. — Offic. ss. Fortunatae et Gaudiosi imp. Neapoli 1568. B. — 1, 1 der Eigennamen stört hier den Rhythmus wie im vorigen Hymnus das Metrum. — 2, 3 praeteriens B. — 2, 4 Auream victor AB. — 3, 2 Fugant quae B. — 3, 4 I pervenire B; Pervenire ad A. — 4, 4 vera B. — 5, 1 augenscheinlich verderbt. — 6, 1 Deo et humili AB.

246. De sancto Francisco.

Ad Horas.

- | | |
|---|---|
| 1. Memento nostri iugiter,
Francisce, pater inclite,
Fac nos [temet] veraciter
Tuo sectari tramite. | 2. Pro tuis ora filiis,
Ut crucifixo placeant,
Precum tuarum studiis
Vitam aeternam habeant. |
| 3. Patrem, natum, paraclitum
Laudent, adorent omnia,
Per huius sancti meritum
Salvi simus in gloria. | |

Horar. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Vatic. Regin. 165. — Die übrigen Hymnen und rhythmischen Antiphonen etc. dieses Stundengebetes sind dem gewöhnlichen Franziskus-Officium entlehnt. Das Invitatorium lautet: Regem Christum, qui Franciscum Ornavit donis insignum [!], Venite adoremus.

247. De sancto Fulgentio.

Ad Vesp. et Noct.

- | | |
|---|---|
| 1. Fulgenti, martyr inclite,
Salve, laude dignissime,
Eximiorum operum
Es tu consors caelestium. | 4. Utriculensis ecclesiae
Clero volente et populo
Sumpsisti sacram infulam;
Ipsis assis indigenis. |
| 2. Beatam vitam nactus es,
Dum eras in hoc saeculo,
Contemplativam scilicet,
Activam et similiter. | 5. Missus de caelo veniens
Multa passurum indicat
A perfido te Totila
Confortatque ad praemia. |
| 3. Apostolorum principis
In aula subdiaconus
Tu consecratus crederis
Condignis tuis meritis. | 6. Tu nempe munus impii
Sprevistique supplicia,
Sponderat qui ferociter,
Ut Christum tu desereres. |

7. Sit Christo Iesu gloria
In saeculorum saecula,
Qui facit tanti martyris
Gaudere nos reliquiis.

Brev. ms. Franciscan. Otriculen. saec. 14. in. Cod. Vatican. 10000. add. saec. 14/15.

248. De sancto Fulgentio.

Ad Laudes.

- | | |
|--|---|
| 1. Tunc poni te in foveam
Fecit per Gothos impios
Caesum cum duris fustibus,
Mandans, ne panem duceres. | 4. Cum illa vix evanuit,
Visi fuerunt angeli
Ferentes suam animam
Ad aulam veri luminis. |
| 2. Columba nimis candida
De caelo venit subito,
Occultans locum stantibus,
Caelitus est quo positus. | 5. O martyr beatissime,
Nunc nostras [preces] suscipe,
Pro nobis Deum rogita,
Quod parcat nobis crimina. |
| 3. Non videtur, vox auditur,
Stans martyr intra foveam
Oransque sibi tribui
Vitae perennis gloriam. | 6. Deus pater piissime,
Te deprecamur supplices,
Fulgentii quod precibus
Purgemur a criminibus. |

Brev. ms. Franciscan. Otriculen. saec. 14. in. Cod. Vatican. 10000. add. saec. 14/15. — 5, 4 Lies: Quod purget nostra crimina?

249. De sancto Galectorio.

Ad Vesp. et Laud.

- | | |
|---|--|
| 1. Virtus patens prodigiis
Luce coruscat clarius,
Christum sequens vestigiis
Beatus Galectorius. | 3. Vitam morte promeruit,
Quae mortis nescit terminum,
Vita, doctrina splenduit
Lucens in luce luminum. |
| 2. Praesul et pater patriae,
Miles, athleta strenuus,
Lascurrensis ecclesiae
Patronus et praecipuus. | 4. Patri, nato, spiritui
Sancto decus et gloria;
Per hunc sint nostro coetui
Vitae perennis praemia. |

Brev. Lascurrense imp. Lascurrens 1541 (reimp. 1891). — 2, 4 ut praecipuus.

250. De sancto Galectorio.

Ad Nocturnum.

- | | |
|---|---|
| 1. In caelestis aerario
Regni gemma reconditur
Praesulum, qui martyrio
Clarus poenis non vincitur. | 3. Consummatus feliciter
Morte sed victis hostibus
Iacet venerabiliter
Lascurrens dignis laudibus. |
| 2. Beatus Galectorius
Gotorum spreto robore
Pugnat pro fide fortius
Burdigalensi littore. | 4. Patri, nato, spiritui
Sancto decus et gloria,
Per hunc sint nostro coetui
Vitae perennis praemia. |

Brev. Lascurrense imp. Lascurrens 1541 (reimp. 1891).

251. De sancto Galgano.

Ad Vesperas.

- | | |
|---|---|
| 1. Plaudat chorus angelorum,
Resultet terra gaudiis,
Dum ditatur beatorum
Galganus sanctus praemiis. | 4. Format crucem ensem figens,
Vocem audit, sistat pedem,
Locum colat non recedens,
Ubi sanctam vidit aedem. |
| 2. Nobilium ex genere
Galganus mundo claruit,
Quem suo Deus munere
Salutis iter docuit. | 5. Imitator praecursoris
Herbis, aqua potu sumpta
Se pascebat certis horis,
Sic mundana sprevit cuncta. |
| 3. Archangelus apparuit
Sibi prius per somnium,
Se sequatur admonuit
Ad locum solitarium. | 6. Deus, creator omnium,
Sancti Galgani precibus
Da sempiternum gaudium
Sua festa colentibus. |

Offic. ms. (Visitat. BMV.) S. Galgani. saec. 16. Cod. Senen. F VI 22.

252. De sancto Gaudio.

Ad Vesperas.

- | | |
|---|--|
| 1. Supernae lucis claritas
Novum collegam recipit,
Irradiata veritas
A diro taetro redimit. | 4. Hic regulat flagitium
Perfidae gentis proelium,
Templo tollit supplicium
Peractis ad exsilium. |
| 2. In noctem nempe saeculi
Plenus fulsit virtutibus
Clarus director populi
Velut caelum sideribus. | 5. Quo repletus deifice
Plebi profert salvifica,
Ubique fatur authenticæ
Dei praeco mirifica. |
| 3. Cum corpus eius teritur,
Lymphis ponit edulium,
Lumen e caelo funditur
Illustrans orbis saeculum. | 6. Dum patitur dispendium,
Datur sollerti studio,
Christus eius ingenium
Suo perfudit radio. |
| 7. Trinitatis imperio
Laudes solvamus modulo,
Utriusque paraclito
Munus canamus iubilo. | |

Offic. ms. ss. Fortunatae et Gaudiosi saec. 16. Cod. Vatican. Reg. 1794.
A. — Offic. ss. Fortunatae et Gaudiosi imp. Neapoli 1568. B. — 1, 4
redime B. — 4, 2 Pro fide.

253. De sancto Gaudio.

Ad Nocturnum.

- | | |
|--|---|
| 1. Iesu lux vera rutilat,
Lucis candoris plenius,
Se Gaudiosus simulat
Veraeque lucis filius. | 4. Aestum ardoris temperat
Stillans rorem munditiae,
Carnem mundumque macerat,
Pro vita innocentiae. |
| 2. Nam iubar summi sideris
Semper gessit in facie,
Dum calcat thronum agminis,
Fide pollet in acie. | 5. Hic mente sursum habitat
Quam angelis parificat,
Luxu iacentes increpat,
Nos spiritu laetificat. |
| 3. Pestem mortis exterminat
Fulgore sapientiae,
Sed pacis dono cumulat
Reos per cultum gratiae. | 6. Ergo tu, pater praedite,
Procura tibi subditis,
In patria iam inclite,
Nos suffragare meritis. |
| 7. Caelorum frangit hostia
Nitens decoris baculo,
Ut per ipsius merita
Crucis salvemur baiulo. | |

Offic. ms. ss. Fortunatae et Gaudiosi saec. 16. Cod. Vatican. Reg. 1794.
A. — Offic. ss. Fortunatae et Gaudiosi imp. Neapoli 1568. B. — 2, 4 polle
B. — 3, 4 Eos per A. — 4, 3 Carne A; mundoque B. — 4, 4 vitae innocentiae AB.

254. De sancto Gaudioso.

Ad Laudes.

- | | |
|--|---|
| 1. Iam sidus caeli radiat
Manens in hoc ergastulo,
Nutu divino properat
Id vocitante populo. | 4. Antra deserti petiit
Sustentans penalitatem,
Bella concussa abstulit
Demonstrans hilaritatem. |
| 2. En, gratuletur cuneus
Tanto fulcitus praesule,
Dum sublimatur caelitus
Superno micante numine. | 5. Multis clarens miraculis
Spiratos resuscitavit,
Caelum procuret parvulis,
Qui devios reparavit. |
| 3. Nudo tellure carpitur
Servans carnis munditiam,
Mundus subactus labitur
Tenens altam clementiam. | 6. Te deprecante iugiter
Tuis detur sororibus
Hostem calcare fortiter
Et cum suis ultoribus. |
7. Laus, honor, virtus, gloria
Trinitati mirificae,
Quae cunctis exstat praevia,
Sit pro tanto pontifice.

Offic. ms. ss. Fortunatae et Gaudiosi saec. 16. Cod. Vatican. Reg. 1794.
A. — Offic. ms. ss. Fortunatae et Gaudiosi imp. Neapoli 1568. B. — 2, 1
gratuletur cunctus B. — 2, 2 Tanto fulgente praesule B. — 5, 4 reperavit A;
recuperavit B. — 6, 2 Die Officien sind für ein Nonnenkloster bestimmt. —

255. De sancta Gebetrude.

1. Christe, verbum patris omnipotentis,
Perpes flos virginum virgine natum
Manens perpetuum suscipe votum.
2. Sancta Gebetrudis, clemens sis nobis,
Ora nos eripi poenis Averni
Et tecum perfrui gaudiis caeli.
3. Sit laus trinitati, laus unitati,
Splendida gloria, maiestas una,
Iuge imperium omne per aevum.

Brev. ms. Romarici Montis saec. 16. Cod. Spinalien. 164 (77). A. —
Hymn. ms. Romarici Montis saec. 15. Cod. Spinalien. 194 (86) B. — Lesarten
keine. — 1, 2 natum schützt der Reim.

256. De sancta Gebetrude.

- | | |
|--|--|
| 1. Exsultet plebs fidelium
Et imploret auxilium
Summi paterni numinis
Festum colendo virginis. | 4. Ob hoc, sponso gratissima,
Virgo excellentissima
Laetatur in caelestibus,
Laetis iuncta agminibus. |
| 2. Psallat chorus in iubilo,
Preces fundat in nubilo
Recolamus et inclita
Virginis sacrae merita. | 5. O Gebetrudis domina,
Posce nobis solamina,
Ut mereamur scandere
Apud sponsum in aethere. |
| 3. Haec sponso fuit obvia
Mundi contemnens gaudia,
Oleum secum detulit
Christo ardendo obtulit. | 6. Sit Deo patri praemium,
Laus, honor et imperium,
Una cum unigenito
Et spiritu paraclito. |

Brev. ms. Romarici Montis saec. 16. Cod. Spalien. 164 (77).

257. De sancto Gendulfo.

- | | |
|---|--|
| 1. Iesu, sanctorum praemium,
Perpes corona praesulum,
Aurem tuam clementius
Nostris impende vocibus. | 3. Aufer a nobis noxia,
Quibus crescunt peccamina,
Triumphum praebe scelerum
Et de triumpho praemium. |
| 2. Sancti Gendulfi, quaesumus,
Piis placare precibus,
Ut aegra nostri corporis
Curet medela salubri. | 4. Victrici nostra tempora
Cinge corona laurea,
Ut sis victor in milite,
Qui es princeps in principe. |
| 5. Tibi sit, Christe, gloria,
Qui, quod est simplex, triplicas,
Simplas et idem pariter,
Quod solum esse permanet. | |

Lect. ms. s. Trinitatis de Moriniaco saec. 12. Cod. Vatic. Regin. 529.

258. De sancto Gendulfo.

Ad Laudes.

1. Inter caelicolas aetheris omnes
Qui summae renites lampadis instar,
Nostra, beate, nubila pelle.

2. Et quem clara capit regia caeli,
Hortamur precibus flectere nostris,
Nos tua tecum gratia sistat.
3. Et quem nulla tenent vincula mortis,
Sed captiva cubant et pede pressa,
Munera posce maxima vitae.
4. Sit virtus parilis lausque perennis
Patri cum genito flamine necnon,
Est cui trinum nomen et unum.

Lect. ms. s. Trinitatis de Moriniaco saec. 12. Cod. Vatican. Reg. 529. —
1, 2 retines.

259. De sancta Genovefa.

1. En, dies splendet veneranda nobis,
Qua poli celsam penetravit arcem
Munda delictis Genovefa virgo
Corpore spreto.
2. Commorans in quo decadas per octo
Propter infirmos fidei calore
Multa conguessit populi sub ore
Signa venusta.
3. Mortuos mortis revocans ab ore
Reddidit vitae tribuente Christo,
Mortis auctorem superavit ipsum
Qua ratione.
4. Cruribus claudos pedibusque suris
Sic reformavit fugiente morbo,
Pristinum quirent iter ut subire
More valentum.
5. Debilis visu pariterque dextra,
Huius ut vidit faciem virentem,
In suam sospes remeavit aedem
Cuncta patrando.
6. Spiritus nequam penetravit et quem
Eius oratu precibusque dignis
Liber effectus referebat odas
Altitonanti.

7. Febre correptos variaque peste,
E quibus possunt numerare mille,
In statum priscum revocavit ipsa
Corde sereno.
8. De quibus nullus typhus hanc adivit,
Ut superbiret patris instar Adae
Angeli necnon satanae docentis
Omnia prava.
9. Sed suos tantum maceravit artus,
Vix ut hanc vitam gereret caducam,
Mens ut exstaret humilis sub ipsis
Actibus almis.
10. Post suam mortem meritum per eius
Turba languentes recreata fulsit,
Dum sui tumbam tetigit sepulcri
Mente fideli.
11. Calculo tritus moriensque quidam
Vectus est illuc aliorum ulnis,
Ad domum sanus propriam rediit
Tripudiando.
12. Quisquis advenit patiens immundos
Spiritus illuc fuit et moratus,
Vidimus, sospes rediit quod inde
Daemoniacus.
13. Virgo quapropter petimus pudica,
Ut tuis nobis precibus salutem
A Deo poscas tribui perennem,
Cui placuisti.
14. Insuper rectae fidei vigorem
Perpetis necnon caritatis imbrem
Ac simul spei tribuat valorem,
Posce tonantem.
15. Ulla ne nobis queat impedire
Caeca convolvens tenebras potestas
Ignis aeterni sibi deputatas
Orbis ab ortu.
16. Angelus nobis potius sed assit
Splendidus, monstrans habitata, sancti
Quae suis factis meruere dignis
In paradiso.

17. Patris aeterni fabricantis aethram
Eius et nati redimentis orbem,
Spiritus sancti celebretur una
Gloria perpes.

Pass. ms. S. Eligii Noviomen. saec. 10¹¹. Cod. Sangenovefian. 3013 (Hl VIII^o 2.) — 4, 1 clodos. — 6, 1 et quam. — 7, 1 correctos variaque pestis. — 8, 1 typus. — 10, 1 mortem suam. — 12, 1 immundo. — Verfasser des Hymnus Vitus Felix decanus. Es folgen nämlich auf denselben die Verse:

Virginis angelicae cernis, lector, Genovefae
Virtutes, Vitus Felix levita piavit
Nobilitate illic fulgens et honore decanus,
Cernere qui sacram iugiter sublimibus ardet etc.

Vgl. Saintyves, PMB. Vie de sainte Geneviève, Paris 1846, p. CXXIX.; Kohler, Ch. Etude critique sur la vie de sainte Geneviève (Bibl. de l'Ecole des chartes fasc. 48).

260. De sancta Genovefa.

- | | |
|--|---|
| 1. In praeclara Genovefae
Virginis celebritate
Apostolica resultet
Omni laude ecclesia. | 7. Cuius illustris praeuius
Nutu divino effectus
Ac enormis paranympus
Ornamentis sponsalibus. |
| 2. Sincera cordis in ara
Litet grata libamina
Atque voce hymnidica
Concrepet carmina dictis. | 8. Sacri nummismatis Christo
Regi nupsit sidereo,
Instruens sponsi thalamo
Excubare praecipuo. |
| 3. Inter ignitos lapides
Aeterni diadematis
Gemma Dei Genovefa
In aethereis adnexa. | 9. Quae primo flore virtutum
Fructum protulit luminis,
Quod in propriae amissum
Salute revexit matris. |
| 4. Perennis ovans gloriae
Fulget lampade coruscans,
Virgineis iuncta choris
Aurea possidet astra. | 10. Urbem protexit hostibus
Parisiacam precibus,
Quondam transscendens terrea
Regna petivit beata. |
| 5. In terrisque innumeris
Praenitescit prodigiis,
Quam excoluit Gallia
Immensam sui gloriam. | 11. Averni claustra deducta
Virgo permansit illaesa,
Ubi gaudia iustorum
Poenam vidit et malorum. |
| 6. Quam vero stella caelestis
Climatibus occiduis
Eoo veniens praesul
Reperit olim Germanus. | 12. Et regressa a superis
Domus pudici pectoris
Valde tremenda nonnullis
Prodidit occulta cordis. |

- | | |
|---|--|
| <p>13. Post quadriennem puerum,
 Quem puteus absorbit,
 A taetrae mortis ereptum
 Vinculo matri reddidit.</p> | <p>14. Cuius munimine fulti
 Mereamur eius sponsi
 Cum lampadibus virtutum
 Penetrare cubiculum.</p> |
|---|--|

15. Unde laus patri aeterno
 Una cum eius filio
 Et spiritu paraclito
 In saeculorum saecula.

Pass. ms. S. Eligii Noviomen. saec. 10/11. Cod. Sangenovofan. 3013 (Hl VIII^o 2). — 1, 1 Genovefa. — 6, 3 Eo oveniens. — 9, 1 virtutum flore. — 13, 3 sq. vinculo ereptum. — 15, 3 Sit spiritui paraclito. — Aufschrift: Hymnus eiusdem. — Vgl. Saintyves l. c. p. CXLI.

261. De sancta Genovefa.

1. En, nobis species splendida vernans
 Festum, quod colitur, innuit alnum
 Melos in iubilo promere cantum
 Almae pro meritis nunc Genovefae.
2. Haec primaeva manens alma puella
 Monstrant pontifices quis Lupus alter
 Germanus Domini sponsat honore,
 Quam praesul Villicus postque sacraivit.
3. Sistens per decadas corporis octo
 Defunctis valuit reddere vitam,
 Infirmis pariter sancta salutem
 Cunctis et populis signa venusta.
4. Auctorem superans mortis et ipsa
 Auctorem sequitur omnibus horis
 Christum, quem venerans nocte dieque
 Servit semper ovans virgo sacrata.
5. Nos hymnis simul et laudibus almis,
 Psalmis hymnidicis hanc honoremus,
 Quo sancta prece nos abluat omnes
 Et mundos faciat sistere Christo.
6. Christo doxa, patri pneumate cumque,
 Cui constat honor imperiumque,
 Unus qui Deus est cuncta gubernans,
 Regnans ac moderans saecula cuncta.

Pass. ms. S. Eligii Noviomen. saec. 10/11. Cod. Sangenovofan. 3013 (Hl. VIII 2). — 2, 4 Villicus. — 3, 3 salute. — 4, 3 Spm quem. — Cfr. Saintyves l. c. CXLI.

262. De s. Georgio Suellensi.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Ave, praesul Suellensis,
Deum semper diligens,
Habens linguam, bone, ensis
Viam Dei edocens,
Propter quod es cum immensis
Regnum Dei possidens.</p> | <p>3. O felix pontifex noster,
Angelorum concivis,
Qui semper fuisti pater
Succurrensque miseris,
Quem portavit tua mater
Sanctum semper in ulnis.</p> |
| <p>2. Tu in mundo docuisti
Dominum diligere,
Per opera demonstrasti
Ad caelos ascendere
Semperque invigilasti
Languidis occurrere.</p> | <p>4. Pastoralis insignitus
Huius sedis baculo,
Gregem pasce, quo fulcitus
Es, caelesti pabulo,
Placa Deum non oblitus
Providere populo.</p> |
5. Laus, virtus et honor Deo
Sit patri ingenito,
Flamine et Nazaraeo,
Patris unigenito,
Qui dat pacem cum tropaeo
Georgio inclito.

Apodix sanctitatis s. Georgii Suellensis episcopi auct. Fr. Dima Serpi Calaritano O. Min. impr. Romae 1609. — Er teilt leider nur ein Bruchstück des Officiums mit: „ex ipso originali in archivo s. metropolitanae ecclesiae Calaritanæ recondito extractum“; dasselbe sei gleich nach dem Tode des Heiligen (1117) in der ganzen Diöcese in Gebrauch gewesen. — Das Officium zeigt rhythmische Teile:

Ad Magnificat in 1. Vesp.:

Hodie Georgius
Pontifex Suellensis,
Confessor egregius,
Laetatur in excelsis

Et ibi superius
Dominum exaltat
Et corde interior
Deum magnificat.

263. De sancto Georgio.

Ad Nocturnum.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Georgii militia
Latii vicit vitia
Regis succurrens filiae,
<i>Splendor paternae gloriae.</i></p> | <p>3. Opes magnas distribuens,
Mortem pro Deo sitiens,
Pro te complet martyrrium,
<i>Christe, redemptor omnium.</i></p> |
| <p>2. Efficitur Georgius
Praedicator egregius,
Quem illustravit caelitus
<i>A patre unigenitus.</i></p> | <p>4. Regi aeterno militans,
Hostes cunctos suppeditans,
Sic pugnat invictissime,
<i>Caeli Deus sanctissime.</i></p> |

- | | |
|--|--|
| <p>5. Georgii virtutibus
Piis ac sanctis precibus
Nos solvat nexu criminis
<i>Consors paterni luminis</i></p> | <p>8. Sunt sancti Dei humiles,
Ut perducantur habiles,
Non superbi nec invidi,
<i>Ad cenam agni providi.</i></p> |
| <p>6. In eius nunc praeconia
Linguam solvat ecclesia,
Et a sanctis spiritibus
<i>Exsultet caelum laudibus.</i></p> | <p>9. Quaesumus. auctor omnium,
Per martyris suffragium
Sis in paschali gaudio,
<i>Iesu, nostra redemptio.</i></p> |
| <p>7. Vincens tormenta omnia
Transit ad caeli gaudia,
Commutant mundi aspera
<i>Aeterna Christi munera.</i></p> | <p>10. Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti libere,
Rogamus, praestes praemia
<i>Beata nobis gaudia.</i></p> |

Hymn. ms. S. Petri Mart. Utinen. saec. 16. Cod. Civit. Utinen. s. n. —
1, 3 sucarens. — 6, 2 Lingua. — 7, 3 Commutat.

264. De sancto Georgio.

Ad Processionem.

- Salve, festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua pugil Anglorum migrat ab orbe polo.
Ecce, patent orbi sollemnia festa Georgi,
Martyris insignis militiaeque potens.
5. Virgo reservatur. ingens draco morte necatur
Martyris eximii praesidioque Dei.
Rex, regina, domus sua sacro fonte levantur
Inque Deum credunt milia quinque virum.
O pugil Anglorum. pugna cum forma virorum,
10. Prospiciens famulis semper adesto tuis.
Henricus quintus, rex Anglus, et Anglia tota
Regnet pace Dei gaudia pacis habens.
Anglis Francisque pax perpes detur ubique,
Martyris in iubilo laus tibi, Christe, Deo.
15. Gloria sit patri prolique spirituique
Lausque, Maria, tibi sit pugilique tuo.
Astus Francorum sopito, beate Georgi,
Ne noceant Anglis neve nocere velint.
Laudibus immensis iubilant tibi Londonienses,
20. Tu cum matre Dei subveniatis eis.
Pace reformentur Angli Francique, ut in aevum
Alterutris maneat intemeratus amor.

265. De s. Gertrude Nivellensi.

In 1. Vesperis.

- | | |
|--|---|
| 1. <i>Assunt festa iubilaea</i>
In Gertrudis gaudia,
Tota psalliat ecclesia
Devota laudum dragmata. | 3. <i>Cui luna, sol et omnia</i>
Deserviunt per tempora,
Perfusa caeli gratia
Semper virtuti dedita. |
| 2. <i>Cuius sacra praecordia</i>
Dei invisit gratia,
Ut esset Deo sponsula
Thori virilis nescia. | 4. <i>Exsultet caeli regio</i>
Et mundialis machina,
Abyssus atque maria
Laudent Deum per saecula. |
| 5. <i>Patri summo cum filio,</i>
Spiramini quoque sacro
Sit sempiterna gloria
Et in virtute solida. | |

Officium triplex Gertrudis, divae virginis, imp. Coloniae 1513. — 1, 2 fehlt eine Silbe; vielleicht ist der Name Gertrudis an Stelle eines längeren getreten. — 3, 1 luna fehlt. — 5, 2 sacro fehlt.

266. De s. Gertrude Nivellensi.

Ad Laudes.

- | | |
|---|--|
| 1. <i>Iesu, corona virginum,</i>
Tete Gertrudis coluit
Virgo manens perenniter,
Quo tibi sic complacuit. | 3. <i>Quocumque pergis, virgines</i>
Sequuntur famulamine,
Inter quas assit petenti
Gertrudis consolamine. |
| 2. <i>Qui pascis inter lilia,</i>
Saeptus choreis virginum,
Quibus Gertrudis inclita
Canendum promit canticum. | 4. <i>Laus tibi, Christe, iugiter,</i>
Patri cum sancto flamine,
Solare nos perenniter
Gertrudis deprecamine. |

Officium triplex Gertrudis, divae virginis, imp. Coloniae 1513. — 1, 3 manens iugiter. — 4, 2 Patre.

267. In Translatione s. Gertrudis Nivellensis.

In 1. Vesperis.

- | | |
|---|---|
| 1. <i>Plaude, mater ecclesia,</i>
Sanctae Gertrudis hodie
Recensentur sollemnia,
Adest dies laetitiae. | 2. <i>Haec annis adhuc tenera</i>
Mente senili claruit,
Toto corde christifera
Soli se solam praebuit. |
|---|---|

- | | |
|---|---|
| 3. Matris parens imperio
Sacrum velamen accipit,
Ardenti desiderio
Christum pro sponso suscipit. | 8. Collaudat coetus virginum
In virginis sollemnio,
Tibi paratur gaudium
Virginali consortio. |
| 4. Conservans sine macula
Virginitatis lilium
Perfert amoris iacula
Missa per Dei filium. | 9. Orans sponsum fideliter
Interno mentis gaudio,
Nunc regnat aeternaliter
Coniuncta Dei filio. |
| 5. Igne caelesti fervida
Sursum tendebat iugiter,
Donis septenis gravida
Mundum calcabat fortiter. | 10. Post agnum sponsum cursitat
Cum ceteris virginibus
Hymnosque dulces personat
Nunc fruens in caelestibus. |
| 6. Haec puritatis lilium,
Flos vernans pudicitiae,
Pietatis sacrarium,
Tutamen erat patriae. | 11. Ergo, fideles, currite
Ad virginis sollemnia,
Melos suave promite
Regnanti super omnia. |
| 7. Hinc revelata facie
Sponsum cernit in gloria
Ac in sanctorum acie
Veste dotatur regia. | 12. Trino Deo et simplici
Laus, honor, virtus, gloria,
Qui nos dono septemplici
Ditet in caeli curia. |

Officium triplex Gertrudis, divae virginis, imp. Coloniae 1513. — 2, 1
Hic annis. — 4, 3 Profert. — 9, 2 Interni. — 12, 3 Quae nos.

268. De s. Gerardo Potentino.

Ad Nocturnum.

- | | |
|---|---|
| 1. Concinat plebs fidelium
Sancti Gerardi gaudium,
Qui pater est concivium
Potentinorum omnium. | 4. Et candela dum arderet
Super cadit tobaleam,
Non est laesa nec combusta
Sed permansit integra. |
| 2. Cuius lustrata corpore
Laetatur non incongrue,
In sanctorum laetitia
Quia gaudet in patria. | 5. Mira sunt, quae referuntur
Praeter illa, quae scribuntur,
Quae et quanta largiuntur
Infirmis beneficia. |
| 3. Receptor fuit pauperum,
Sicut patet in tabula,
Ut usque nunc permaneat,
Cuncta clamat Potentia. | 6. Confessoris huius merito
Laus patri sit ingenito,
Gloria unigenito,
Virtus summa paraclito. |

Cod. Arch. Vatic. X, 89. — 2, 3 Iam sanctorum est laetitia. — 4, 2
eadit zobaleam. — 5, 3 relargiuntur. — 6, 1 Eine Silbe zu viel; verändert
aus Martyris huius merito?

269. De s. Gerardo Potentino.

Ad Laudes.

- | | |
|---|--|
| 1. Gaude, felix Potentia,
Sub tanto duce militans,
Virtutis opulentia
Plene cunctis irradians. | 4. Ad eum cor convertite,
Ut interpellat Dominum,
Et a malo avertite,
Ut praebeat auxilium. |
| 2. Plenus misericordia,
Fervidus amicitia,
Refulsit in ecclesia,
Refulget nunc in patria. | 5. Hic ad caeli palatium
Assumptus est feliciter,
Ubi habet solacium,
Quod nobis optat iugiter. |
| 3. Sic colendus hominibus
Propter Dei charismata
Censetur et honoribus
Dignus confutans schismata. | 6. Honor sit alto Domino,
Patri, nato, paraclito,
In cuius iam consortio
Hic fruitur solacio. |

Cod. Arch. Vatic. X 89. — 5, 2 Quod pronobis.

270. De s. Gerardo Potentino.

In 2. Vesperis.

- | | |
|--|--|
| 1. Pacis cultor, hostis ultor,
Gerardus, Dei gratia
Quem decorat, quem honorat
<i>Aeterna caeli gloria.</i> | 4. Aqua vinum, dum divinum
Crucis praefert signaculum,
Fit tam bonum, tam decorum,
<i>Conditor alme siderum.</i> |
| 2. Vitae forma, morum norma
Praebet ducatum populis,
Minat gregem dux ad regem,
<i>Consors paternae gloriae.</i> | 5. Nautis portus huius ortus
Praebetur in naufragio,
Cedit planctus, fiunt cantus,
<i>Iesu, nostra redemptio.</i> |
| 3. Caecis visus, clausis gressus
Per hunc datur mirifice,
Surdus audit, mutus fandit,
<i>Magnae Deus potentiae.</i> | 6. Deum unum atque trinum
Laudemus cum laetitia,
Qui paravit ac donavit
<i>Beata nobis gaudia.</i> |

Cod. Arch. Vatic. X. 89. — 3, 4 Magnus Dei potentiae. — Die vier Hymnen auf Gerardus von Potenza siehe auch Acta SS. Oct. XIII, 470 sq. aus Campi, Historia di Piacenza I, 382. sqq.

271. De s. Germano Autisiodorensi.

1. Sanctorum meritis inclita gaudia
Pangamus, socii, vocum concordia,
Nam gliscit animus promere laudibus
Iustorum vitam praesulum.
2. Inter quos floruit vir stirpe nobilis,
Germanus pontifex, vitae laudabilis,
Nam fastum respuens terreni culminis
Mutavit statum corporis.
3. Hic postquam apicem conscendit ordinis,
Se pavit hordeo cum potu laticis
Gustando primitus paululum cineris,
Naturae memor fragilis.
4. Huius cilicio corpus affligitur,
Orat assidue, fletu perfunditur
Iacens in cinere, vix somnus capitur,
Sic vivens fere moritur.
5. Hic est, qui mortuos vitae restituit,
Iste per oleum mare compescuit,
Sepulto praesuli verba conseruit
Et claustris vinctos eruit.
6. Per istum mortuus absolvit mortuum,
Cui sese Dominus dedit viaticum,
Hic nobis veniam poscat peccaminum
Post huius vitae transitum.

Brev. Atrebatense imp. Atrebatii 1595.

272. De s. Germano Autisiodorensi.

Ad Vesp. et Noct.

- | | |
|--|--|
| 1. Germanus, praesul inclitus,
Nostris aspiret precibus,
Ut in caelesti patria
Digna mercemur gaudia. | 3. Nam condolens miseriis
Quorundam fabri operis
Struem erexit lapidum
Dando crucis signaculum. |
| 2. Beatus vir egregius,
Summis pollens virtutibus,
Corpus domans ieiuniis,
Novis utens prodigiis. | 4. Mediolanum veniens,
Aedem sacram ingrediens,
Daemonis voce patuit,
Qui servos Dei latuit, |

- | | |
|---|--|
| <p>5. Regem privans imperio,
Servum ditans dominio
Stupentibus astantibus
Nihil fari valentibus.</p> | <p>7. Precemur mente sedula
Omnes Germani merita,
Ut sibi famulantibus
Peroret in caelestibus.</p> |
| <p>6. Defuncti corpus socii
Suo paruit nutui,
Malens frui caelestibus
Quam huius vitae fluctibus.</p> | <p>8. Honor, decus, imperium
Sit creatori omnium,
Nobisque det perpetua
Almi Germani gaudia.</p> |

Brev. ms. Cavense anni 1308. Cod. Casanaten. C III, 2 (1575). — 2, 2
Summus.

273. De s. Germano Autisiodorensi.

Ad Laudes.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Ad Germani sollemnia
Pangat Christi praeconia
Devota plebs fidelium
Viribus totis cordium.</p> | <p>5. Caecis visum restituit,
Clenicis gressum reddidit,
Nequam spiritus effugans
Et mortuos resuscitans.</p> |
| <p>2. Laetetur fratrum gremium
Magnificando Dominum
In Germani oraculo
Dicti Autisiodoro.</p> | <p>6. Clausit hic vitae terminum
Plenus virtutis operum
Ravennae territorio
Orans et psallens Domino.</p> |
| <p>3. Plaudant devote clerici,
Diversi sexus laici,
Summi regis mirifica
Et eius servi opera.</p> | <p>7. Transfertur ad caelestia
Sanctorum fretus gloria,
Ut nos a mundi casibus
Eximat suis precibus.</p> |
| <p>4. Contulit se Britanniam,
Lustravit totam Franciam,
Doctrinae suae famina
Corde pellunt peccamina.</p> | <p>8. Honor, decus, imperium
Sit creatori omnium,
Nobisque det perpetua
Almi Germani gaudia.</p> |

Brev. ms. Cavense anni 1308. Cod. Casanaten. C III, 2 (1575).

274. De sancto Godehardo.

Ad Nocturnum.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Ascendat ad te, Domine,
Votiva laus ecclesiae
Praesentis gaudio festi
Iubilantis hymnum tibi.</p> | <p>2. Instat enim sacra dies,
Qua Gothehardus pontifex
Carne solutus gaudia
Migravit ad caelestia.</p> |
|---|--|

- | | |
|--|---|
| 3. Qui te quaerens, te diligens,
Te toto corde sitiens,
Te largiente pluribus
Enituit virtutibus. | 4. Per eius namque meritum
Adepti sunt remedium
Oppressi varia peste
In anima vel corpore. |
|--|---|

5. Sit ergo tibi gloria,
Laus et magnificentia,
Decus, honor, imperium
Nunc et per omne saeculum.

Collect. ms. Millestadiense saec. 12. Cod. Graecen. 1449. — Nach der Vita Godehardi des Wolfherius. Ob von diesem?

275. De sancto Godehardo.

Ad Laudes.

- | | |
|---|--|
| 1. In laude regis omnium
Et Godehardi praesulis
Totis medullis cordium
Insistat haec plebs muniis. | 3. O Godeharde, caelitus
Electe Dei pontifex,
Intende clemens laudibus,
Quas annuatim promimus. |
| 2. Laetare, mater Altaha,
Profectu talis filii,
Laetare, Baioaria,
Tanti patroni gloria. | 4. Honor, potestas, gloria
Deo patri cum filio,
Paracrito sit pneumati
Per saeculorum saecula. |

Collect. ms. Millestadiense saec. 12. Cod. Graecen. 1449. — 4, 2 Dei patri. — Vgl. Anal. XII, 192 und XXIII, 278.

276. In festo sancti Goerici.

Ad Vesperas.

- | | |
|---|---|
| 1. Assunt Goerici
Festa celebra,
Iubilet felici
Mundus laetitia. | 4. Quartus emerito
Gradus reservatur,
Ascendit merito,
Pontifex creatur. |
| 2. Goericus genus
Sanctum, stirps regia,
Sanctitate plenus
Erat et gratia. | 5. Eius ecclesia
Meritis insignis
Repletur gloria,
Decoratur signis. |
| 3. Fit itaque primo
Natalis patriae
Comes, dux, ultimo
Rex Aquitaniae. | 6. Omnis ingrediens
Optatis fruitur,
Et lucem nesciens
Ignis exstinguitur. |

- | | |
|--|---|
| <p>7. Daemones fugiunt,
Vincula solvuntur,
Claudi resiliunt
Mutique loquuntur.</p> | <p>8. Sit laus Deo patri,
Summo Christo decus,
Spiritus sancto
Tribus honor unus.</p> |
|--|---|

Brev. ms. Romarici Montis saec. 16. Cod. Spinalien. 164 (77). A. —
Brev. Tullense imp. Parisiis 1510. B. — Brev. Tullense imp. Parisiis 1511.
C. — 3, 1 prima BC. — 6, 1 regrediens A. — 8, 4 Trinus honor BC.

277. De sancto Gregorio.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Summae sedis antistitis,
Deus alme, Gregorii
Festum colentes per orbem
Meritibus eius protege.</p> | <p>4. Anglorum quoque populis
Hic adfuit [incredulis],
Quos lieto cultu daemonum
Convertit ad altissimum.</p> |
| <p>2. Sacra cuius eloquia
Vitae ferentis pascua
Lac potum donant parvulis,
Cibum ministrant validis.</p> | <p>5. De cuius sacro transitu
Chorus laetatur omnium
Anglorum et hominum
Summo Deo placentium.</p> |
| <p>3. Ut erecti non ruere,
Lapsi addiscant surgere,
Haereticorum haereses
Divo secantur cuspide.</p> | <p>6. Iam pontifex egregie,
Pro nobis Deum iugiter
Exora sacris precibus,
Ut nobis parcat omnibus.</p> |

7. Aeterno patri gloria
Simulque eius genito,
Sancto quoque spiritui
Sit saeculorum saeculis.

Hymn. ms. Bobbiense saec. 11. Cod. Vatican. 5776. — 2, 2 ferentes. —
3, 2 Ut irate non ruere. — 4, 3 Quos lieto cultu. — Cfr. Mai Nova bibl.
Pat. I, II, 202.

278. De sancto Gregorio.

1. Splendido sacra gratulans amore
Plebs tibi festa celebrat, Gregori
Sancte, qui summo rutilas honore
Regis in aula.
2. Tu pius pastor populi rector
Huius et nostrae patriae patronus,
Hic tuis praebe famulis favorem,
Signifer alme.

3. Pelle clementer cumulum piaci,
Mortis et morbi stimulum recide,
Ne sibi Christi subigat clientes
Daemonis ira.
4. Praesul insignis, fragiles tuere,
Tu geras nostrae fidei tutelam,
Ut Deo dignam iugiter queamus
Pangere vitam.
5. Vota psallentum, petimus ovantes,
Incliti regis referas ad aures,
Praestet ut nobis placidus amoenae
Gaudia vitae.
6. Laus Deo patri parilique proli
Et tibi sancte studio perenni
Spiritus nostro resonet ab ore
Omne per aevum.

Hymn. ms. Romarici Montis saec. 15. Cod. Spinalien. 194 (86).

279. De sancto Hadelino.

- Virtutum Dominus, regum sine tempore primus,
Conregnare suum sibi donavit Hathelinum.
Hinc latae laudes, hinc organa, cantica, voces
Astantes mulcent et lumina clara relucent.
5. Tu, pater, assistis caeli concentibus illis
Exaudire potens, quibus est ad sancta fides mens,
Et nos psallentes vitamque tuam recolentes.
Quaesumus, ut merces sit nobis gratia perpes.
Cuncta Deo cantent, benedicant hunc et adorent,
 10. Cui sic angelicus merito placuit Hathelinus.
Omnimodis iustus, pius est in pace sepultus
Vivit et emeritus caelis dignus Hathelinus,
Sanans languentes et salvans iusta petentes.
Affore dignetur cunctis ut propitietur.

Collect. ms. S. Heriberti Tuitiensis saec. 12. Cod. Londinen. Add. 27 680
(mit Neumen.). — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

280. De sancta Hedwige.

Ad Vesperas.

1. Gaude, felix Polonia,
Coruscans claro sidere,
Ubi clarent praeconia
Advigis Dei munere.
2. Adest dies laetitiae,
Quo rosa delectabilis
Offertur regi gloriae,
Advigis sancta, nobilis.

- | | |
|---|--|
| 3. Puella stirpe regia
Claro duci Poloniae
Copulatur egregia,
Fit sponsa regi gloriae. | 4. Trino Deo sit gloria,
Qui Advigem glorificat,
Qui nobis donet praemia,
Quos festum hoc laetificat. |
|---|--|

Collect. ms. Constantini Caietani saec. 17. Cod. Alexandrin. 95.

281. De sancta Hedwige.

Ad Nocturnum.

- | | |
|---|--|
| 1. Crebris pollet Polonia
Ducis suae miraculis,
Cuius praeco praeconia
Christi monstrat prodigiis. | 2. Rotae pressum vertigine,
Necatum horribiliter
Vitae reddit callicine
Semota mirabiliter. |
|---|--|

3. Trino Deo sit gloria.

Collect. ms. Constantini Caietani saec. 17. Cod. Alexandrin. 95.

282. De sancta Hedwige.

Ad Laudes.

- | | |
|---|---|
| 1. Laudemus cum laetitia
Summi regis clementiam,
Qui procul pellit vitia,
Infundit et dat gratiam. | 2. Advigis, admirabile
Religionis speculum,
Opus egit laudabile
Vitans mortale saeculum. |
|---|---|

3. Trino Deo sit gloria.

Collect. ms. Constantini Caietani saec. 17. Cod. Alexandrin. 95.

283. De sancta Helena.

- | | |
|---|--|
| 1. Gaude, mater ecclesia,
Fulget dies egregius
Helenae, sanctae reginae,
Almae crucis inventricis. | 3. Comperitur Iudas, frater
Protomartyris Stephani,
Secreto patris monitu
Invite locum demonstrans. |
| 2. Adiit Ierosolymas
Helena crucem quaerere,
Congregans Iudaeos fari,
Ubi latet lignum crucis. | 4. Iudas orabat Dominum
Demonstrare sibi locum;
Egrediens aromatum
Fumus, Iudas laetus stupet. |

- | | |
|---|--|
| <p>5. Accipiens fossorium,
Viginti passus fodiens,
Tres cruces ibi comperit,
Sed ignorant, quae sit sancta.</p> | <p>7. Ecce, daemon in aere
Clamabatque continue:
Per Iudam Iesus passus est
Et nunc Iuda mundus lucet.</p> |
| <p>6. En, iuvenis tunc mortuus
Ferebatur in grabato,
Gradatim cruce posita
Sub diva resurgit statim.</p> | <p>8. Calvariae construitur
Tunc insignis ecclesia,
Iudasque tunc baptizatur,
Nominatur Cyriacus.</p> |
9. De clavis dolens regina
Requiritque Cyriacum,
Sed dum orasset Dominum,
Claves reperit illico.

Brev. ms. Ambrosianum saec. 15. Cod. Borgian. M II, 20. — 1, 3
regiae. — Doxol.: Gloria tibi, Domine.

284. De sancta Helena.

Ad Nocturnam.

- | | |
|---|--|
| <p>1. In caelesti rosario
Rosa plantatur nobilis,
Cuius ardenti studio
Cruz habetur dominica.</p> | <p>3. Iudaei tunc perterriti
Timore magno et horribili,
Quae sibi Iudas dixerat,
Manifestaverunt omnia.</p> |
| <p>2. Beata Dei Helena,
Postquam recepit nuntios,
Iudaea tunc incredula
Tradi iubet incendio.</p> | <p>4. Tunc Iudas facti conscius
Solut in lacu ponitur,
Tandem tactus divinitus
Totum pandit in publicum.</p> |
5. Praesta, pater, per filium,
Praesta per alium spiritum,
Ut per huius suffragia
Aeternum dones praemium.

Offic. ms. saec. 16. Cod. Vatican. 6286.

285. De sancta Helena.

Ad Laudes.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Electa Dei famula
Locum pergens Calvariae,
Orando cum fiducia
Locus movetur iugiter.</p> | <p>2. Fumus prodit aromatum,
Et cruces tres inveniunt,
Per mortui miraculum
Cruz Christi dignoscitur.</p> |
|--|---|

- | | |
|---|---|
| 3. Clavi quaeruntur postmodum,
Quos freno ponunt Caesaris,
Compleatur vaticinium,
Quod Zacharias protulit. | 4. Precamur corde intimo,
Fidelis Christi Helena,
Ut in omni angustia
Subvenias et protegas. |
|---|---|

5. Praesta, pater, per filium.

Offic. ms. saec. 16. Cod. Vatican. 6286. — 2, 1 promit. — 2, 4 fehlt eine Silbe. — 3, 2 Quos freno ponuntur.

286. De sancta Helena.

- | | |
|--|--|
| 1. Ut Deus sit propitius
Ipsum vere colentibus,
Helena eius famula
Orando interveniat. | 5. Haec gemmis crucem optimis,
Thecis ornavit aureis,
De templo movens idolum
Templum condit mirificum. |
| 2. Haec verbo multos docuit
Viam demonstrans fidei
Ex Hebraeorum populo
Christo favente Domino. | 6. Laetentur ergo socii
Helenae festo dediti,
Ut nobis caeli principem
Efficiat placabilem. |
| 3. E quibus unus claruit
Iudas, praesul egregius,
Helenae sanctis studiis
Sacratam crucem repperit. | 7. Funde preces assidue
Pro his, quos cernis iugiter
Tuis instare laudibus,
Servans ab hostis cladibus. |
| 4. Quae erat multo tempore
Latens loco Calvariae,
Arbor decora, fulgida,
Ornata regis purpura. | 8. Laudes patri cum genito
Spirituque inclito
Reddamus voce sedula
In sempiterna saecula. |

Brev. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Archiep. Utin. Oct. 10. A — Brev. ms. Civitatense anni 1476. Cod. Civitaten. LXXIV (28) B. — 5, 4 condens B.

287. De s. Helena Suecica.

Ad Vesp. et Noct.

- | | |
|--|---|
| 1. Felix parens Westgotia,
Gaudens plaude, multiplica
Pro tuae prolis gloria
Devota laudum cantica. | 2. Helena martyr hodie
Carnis abiecto pondere
Caelestis aulam curiae
Scandit de mundi carcere. |
|--|---|

- | | |
|--|---|
| 3. Claris orta parentibus
Nobilitatem generis
Bonis ornare moribus
Coepit ab annis teneris. | 4. Post maritale vinculum
Deo se totam dedicans
Salutis fit spectaculum,
Exemplis, signis emicans. |
|--|---|

5. Deus, creator omnium,
Te poscimus terrigenae,
Ut nos ad caeli gaudium
Prece perducas Helenae.

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. 14/15. Cod. Dresden. A 182. A. — Ant. et hymn. ms. Scarense saec. 14. [et 15]. Cod. Upsalen. C 422. B. — Collect. ms. Vadstenense saec. 15. Cod. Upsalen. C 23. C. — Brev. Scarense imp. Norimbergae 1498. D. — Varianten: keine. — Cfr. Klemming I, 116. — Verfasser Brynolphus I. Scarensis. Dieser Hymnus steht in D mit dem Anfange Felix parens Hungaria auch auf Elisabeth. — Sonstige Änderungen: 2, 1 Elisabeth in hac die. — Vgl. Klemming III, 71.

288. De s. Helena Suecica.

Ad Laudes.

- | | |
|---|--|
| 1. Adest triumphus nobilis,
Dies reдит laetitiae,
Qua martyr venerabilis
Ascendit thronum gloriae. | 3. Ieiunans, orans, operans
Carnem domat ac afficit,
Caelestia desiderans
Cum Deo mentem reficit. |
| 2. Thesaurizavit avide
Thesauros in caelestibus,
Dum opes suas provide
Dispersit dans pauperibus. | 4. Signa fecit insignia,
Surdus auditum tribuit,
Mundans leprae contagia
Caecis visum restituit. |

5. Deus, creator omnium.

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. 14/15. Cod. Dresden. A 182. A. — Ant. et hymn. ms. Scarense saec. 14. [et 15]. Cod. Upsalen. C 422. B. — Collect. ms. Vadstenense saec. 15. Cod. Upsalen C 23. C. — Brev. Scarense imp. Norimbergae 1498. D. — 3, 2 domans ad afficit C. — 4, 4 Caesis A. — Vgl. Klemming I, 122. — Verfasser: Brynolphus I. Scarensis. Dieser Hymnus kommt in D mit dem Anfange: Dies est venerabilis auch auf Elisabeth vor. Sonstige Änderungen: 1, 2 Et iucundae laetitiae. — 1, 3 Elisabeth qua nobilis. — 4, 2 sq. fehlen; dafür nach 4, 4 Caeli perfusa gratia | Defunctis vitam tribuit. — Vgl. Klemming III, 72.

289. De s. Henrico Upsalensi.

Ad Vesperas.

- | | |
|--|--|
| 1. Assunt festa celebra,
Pater Henricus hodie
Migrans ad caeli gaudia
Vestitur stola gloriae. | 2. Fulgorem dans ut lucifer
Praesul iste mirificus,
Negotiator frugifer,
Doctor et praeco deicus. |
|--|--|

- | | |
|--|--|
| 3. Ecclesiam catholicam
Fundat in terra Finnorum,
Fidem spargens dominicam
Semoto cultu daemonum. | 4. Ferox in sanctum irruit
Occidendo crudeliter
Homicida, quem monuit
Paenitere salubriter. |
|--|--|

5. Eius nobis suffragio,
Iesu, da culpae veniam
Et in caeli palatio
Perenniter laetitiam.

Ant. et hymn. ms. Scarense saec. [14. et] 15. Cod. Upsalen. C 422. A. —
Brev. Lincopense imp. Norimbergae 1493. B. — Vgl. Klemming I, 126 u. f.

290. De s. Henrico Upsalensi.

Ad Nocturnum.

- | | |
|---|--|
| 1. Christi miles magnificus,
Mundo dans nova gaudia,
Henricus, civis caelicus,
Mira praeferget gratia. | 3. O venerande pontifex
Triumphans per martyrium,
Nobis sis pius opifex
Ad te trahens in gaudium. |
| 2. Spernens mundum cultor Dei
Labores et pericula
Dilatatorque fidei
Perpessus fuit sedula. | 4. Civem caelestis curiae
Collaudemus perenniter
Patronumque Finlandiae
Prece placemus iugiter. |

5. Eius nobis suffragio.

Ant. et hymn. ms. Scarense saec. [14. et] 15. Cod. Upsalen. C 422. A. —
Brev. Lincopense imp. Norimbergae 1493. B. — 2, 2 per pericula B. —
Vgl. Klemming I, 127 u. f.

291. De s. Henrico Upsalensi.

Ad Laudes.

- | | |
|---|--|
| 1. Exsulta, Sion filia,
Piis ostensa meritis
Signa depromens varia,
Laudes palmamque militis. | 3. Quem glacies dat populum
In se repertum colere,
Submersum reddit annulum
Aequor in piscis viscere. |
| 2. Birretum mordet impium
Occisorem pontificis,
Per anxium supplicium
Carne privatur verticis. | 4. Caecis, claudis, debilibus
Salus datur et gratia
Larga sua poscentibus
Devote beneficia. |

5. Veræ vitis in palmite
Dum tot florent insignia,
Laeti fratres, concinite
In laudibus et edia.

6. Eius nobis suffragio,
Iesu, da culpæ veniam
Et in cæli palatio
Perenniter lætitiā.

Ant. et hymn. ms. Scarense sæc. [14. et] 15. Cod. Upsalen. C 422. A. —
Brev. Lincopense imp. Nurembergæ 1493. B. — 2, 3 Per aurium supplicium
A. — Vgl. Klemming I, 133 u. f.

292. In Translatione s. Henrici.

Ad Vesperas.

1. Gaude, coetus fidelium,
Nova per hæc sollemnia,
Sanctus Henricus bravium
Sumens petit caelestia.

4. Verbo, vitæ virtutibus
Tesarizat fideliter,
Fide constans et moribus
Fructum metit perenniter.

2. Virtute vitæ caelicus
Doctrinæ præpollentia
Praesul effectus deicus
Mira præfulsit gratia.

5. Velut David intrepidus
Manum misit ad fortia
Et ut Elias fervidus
Pugnavit pro iustitia.

3. Upsaliae primatiam
Relinquens terram Finnonum
Adivit per instantiam
Docens cultores daemonum.

6. Huius nobis precatibus,
Iesu, da perpes gaudium,
Quo tecum in caelestibus
Gaudet coetus fidelium.

Klemming I, 135. — Dieser und die folgenden beiden Hymnen waren
in Stockholm in der von Klemming bezeichneten Quelle nicht auffindbar.
Ich vermag daher nur Klemmings Text wiederzugeben. — 4, 2 Thesarizat
fortiter (K).

293. In Translatione s. Henrici.

Ad Nocturnum.

1. Dies sollennis promicat,
Virtutum post frequentiam
Martyr Henricus emicat
Cæli venustans curiam.

4. Effuso namque sanguine
Fons glacie mox scatuit,
Manans in stagni flumine
Morbos diversos abluit.

2. Talentum sibi creditum
Augens, dum terram circuit,
Insultum per incognitum
Perversorum occubuit.

5. Birretum sacri praesulis
Suum retorsit aemulum,
Corvus in veris modulis
Cum membro pandit annulum.

3. Virtutum iubar modio
Prodivit et ex latebris,
Veri vitis in radio
Palmes patescit celebris.

6. Huius nobis precatibus,
Iesu, da perpes gaudium,
Quo tecum in caelestibus
Gaudet coetus fidelium.

Klemming I, 136 u. f. — Vgl. das zu Nr. 292 Bemerkte.

294. In Translatione s. Henrici.

Ad Laudes.

- | | |
|--|---|
| 1. Hymnum novum concinite
Laeto deductum cantico
Athleta pro antistite
Regno vernante caelico. | 4. Portum salutis propere
Largire se poscentibus
Miro virtutum munere
Cunctis favet debilibus. |
| 2. Effracti vasis balsamum
Tam late spirat dulciter,
Quod vix per linguae calamum
Dici potest plenariter. | 5. Nos, pie pater, respice
Tuis instantes laudibus
Vivoque fonte refice
Tuis largitionibus. |
| 3. Vitae redduntur mortui,
Visu privati lumini,
Claudi donati gressui,
Muti linguae laxamini. | 6. Huius nobis precatibus,
Iesu, da perpes gaudium,
Quo tecum in caelestibus
Gaudet coetus fidelium. |

Klemming I, 187 u. f. — Vgl. die Bemerkung zu Nr. 292.

295. In sollemni Commemoratione

ss. Hermelandi et Baldi.

- | | |
|---|--|
| 1. Clara sanctorum merita,
Sacris quorum pignoribus
Aula praesens est praedita,
Dignis colamus laudibus. | 5. Hermelandi praecipue
Baldique sancti corpora
Assunt hic, ut assidue
Nostra purgent facinora. |
| 2. Assunt nobis dotaria
Crucis Christi particulae,
Lac zona cum eximia
Beatae Christi gerulae. | 6. Innocentum, Georgii,
Radegundis eximiae,
Sixti, Cosmae, Vincentii
Nobis assunt reliquiae. |
| 3. Vestimenti particula
Christi, quod est purpureum,
Est et, ab imaginula
Quod emanavit, oleum. | 7. Dens Machuti pontificis
Magdalenae cum ossibus
Eiusque pili verticis
His iuncti sunt magnalibus. |
| 4. Petrae de Christi tumulo
Eiusque pars sudarii,
Sunt et in laudum cumulo
Sanctorum artus varii. | 8. Qui tot donorum schemate
Nos honorat in stadio,
Cum utriusque pneumate
Sit laus patri cum filio. |

Brev. Lochense imp. Turonibus 1536.

296. De sancta Hermelinde.

- | | |
|--|---|
| 1. Nobis ascendat propere
Aurora lucis praevia,
Nos creatori psallere
Creatura monent omnia. | 3. Quae castitate floruit
Parens oboedientia
Atque desertum coluit
In mira abstinencia. |
| 2. Da merum Christi gaudium,
Absterge cuncta vitia,
Qui das Hermlindi praemium
Quaterna paenitentia. | 4. Sepultam a caeligenis,
Fruentem caeli gloria,
Laudari a terrigenis
Diversa dant insignia. |
| 5. Sit laus trinae unitati,
Honor, virtus, victoria,
Omnis faex cedat peccati
Hermlindis precum gratia. | |

Orat. ms. Carth. Colonien. saec. 15. Cod. Colonien. 28. — 2, 3 Hermelindi. — 5, 4 Hermelindis.

297. De sancto Hidulpho.

Ad Vesperas.

1. Hymnorum Domino carmina digniter
Concordi iubilo contio personet,
Huius cum revehit temporis orbita
Hidulphi meritis annua gaudia.
2. Hic primum placuit summus episcopus,
Ad cultum Domini pro grege fervidus;
Postquam rite diu moribus inclitis
Urbem Trevericam rexit et extulit,
3. Ardenti studio pastor ad ultimum
Desertum petere censuit optimum,
Quo mundi fugiens respuit omnia,
Totus, Christe, tibi viva fit hostia.
4. Iam felix frueris sideribus poli,
Ad nos respicias, praesul amabilis,
Ac per te laqueos ordo monasticus
Evadat, propriis qui ruit actibus.
5. Olim sollicitus pro grege credito
Orabas Dominum tempore congruo,
Nunc autem facie ad faciem vides,
Nobis ut veniam, poscimus, impetres.

6. Astantes releva multiplici prece,
Pondus quos scelerum adgravat undique,
Iunctis discipulis atque sodalibus
Christum posce tibi pro famulantibus.
7. Hoc praestet genitor cum genito Deus
Ambobus similis atque paraclitus,
Cui laus est et honor parque potentia
Trino nominibus, quo regit omnia.

Offic. ms. S. Hidulphi saec. 15. Cod. Spinalien. 82 (130). — Die Hs. stammt nicht aus dem Jahre 1562, welche Zahl von späterer Hand einer der Initialen (fol. 1b) eingezeichnet wurde.

298. De sancto Hieronymo.

Ad Matutinum.

- | | |
|---|--|
| 1. Magne pater, doctor orbis,
Beate Ieronime,
Lux refulgens, leo fortis,
Virorum sanctissime,
Nos in vias tuae sortis,
Te precamur, dirige. | 3. Tu es norma paenitendi,
Quam sequuntur humiles,
Sacras leges das vivendi
Et Deo placabiles,
Actus vere diligendi
Deum praebes utiles. |
| 2. Te collaudat plebs fidelis,
Miratur insignia,
Et triumphas nunc in caelis
Cum sanctis in gloria,
Expavescunt te in terris
Hostes et daemonia. | 4. Tua probat Augustinus
Scripta, pater inclitus,
Post hanc lucem visitatus
A te, post haec caelitus.
Ut amborum fiam servus,
Te precor humilior. |

5. Regem regum deprecemur
Iubilantes vocibus;
Ut in caelis collocemur
Cum fraternis civibus,
Advocatus nobis detur
Beatus Ieronimus.

Brev. Arelatense imp. Arelati 1501.

299. De s. Hugone Lincolnienſe.

Ad Processionem.

- Salve, festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua pater almus Hugo caelica regna subit.
Hic titulos morum varios scandens et honorum,
Corpore dum vigit, sidus in orbe fuit,
5. Canonicus primum, monachus post ac eremita,
Bis prior et demum pontificatur ita.

- Marmora, virtutes, personae, materiae tres,
Hisque Deo templa praeparat ipse tria.
Mira salus pueri prius est ostensa parenti,
10. Suffocat hunc ferrum, fert Hugo praesidium.
Daemones hic arcet, furiosis commoda praebet,
Atque fluens oleum glorificavit eum.
Prandia postposuit, regum dum funera condit,
Talibus officiis institit ipse piis.
15. Ipsius ex merito felix Lincolnia sistit,
Quam voluit tumulo nobilitare suo.
Gaudeat, ecclesia, quae tanto praesule floret,
Quo patre Carthusia praedita laeta foret.
O pater egregie, nostras has suscipe voces
20. Terrificoque die nos super astra loces.

Process. ms. Lincolnienae saec. 15. Cod. Vatican. Ottob. 308. — Auf diesen Hymnus folgt noch ein Responsor: „in introitu chori“, vielleicht einem Reimofficium entnommen:

Diem festum celebrantes
sollemni laetitia
Salvatoris prosequamur
laudibus magnalia,
Qui Hugonem insignivit
multiformi gratia.

V. Pontificum baculus,
monachorum norma, scholarum
Consultor, regum
malleus Hugo fuit.

300. De sancto Hyacintho.

Ad Vesperas.

1. Vocibus caelum resonat canoris,
Caelitum sacras, Hyacinthe, sedes
Dum petis bino redimitus alma
Tempora serto.
2. Sedibus, sancte, superis locatum
Angeli laudant, caput astra cingunt,
Ora, frons, pectus rutilis coruscant
Plena hyacinthis.
3. Ecce, bis seno proprior lapillo
Factus es divum lapis amethysto,
Flammulas mittens rubeas amoris
Cordis ab igne.

4. Hinc tuos tellus oculis triumphos
Aspicit laetis precibusque mixtis
Cantibus fixo sequitur minantes
Lumine currens.
5. Sit patri, nato simul utriusque
Flamini splendor datus ex Hyacintho,
Cuius aeternum chorus angelorum
Numen adorat.

Ant. ms. S. Katharinae Divoduren. saec. 14. Cod. Vatican. s. n. (ol. 122 bis). add. saec. 15/16. — Mel.: Ut queant laxis.

301. De sancto Hyacintho.

Ad Matutinum.

1. Assunt Hyacinthina festa sollemnia,
Sonet nunc pristina laus in ecclesia,
Exsultet gaudiis laeta Polonia,
Dives caeli divitiis.
2. Est amoenissimus Hyacinthus hortulus,
Est lucidissimus et gratus oculus,
Totus est floridus ut sponsi lectulus,
Suavis, mitis, candidus.
3. Flos iure postulat fulciri floribus,
Languens dum exsultat amoris raptibus,
Stipari cupiens malorum fructibus
Caelum [corde] suspiciens.
4. Virgo sanctissima magno cum agmine
Ad caeli intima ingenti lumine
Deducit concinens caelesti carmine
Iam collem turis obtinens.
5. Te, trina deitas unaque, colimus,
Ut culpas abditas dimittas, petimus,
Coronas gratiae nos omnes poscimus,
Quas fert Hyacinthus gloriae.

Ant. ms. S. Katharinae Divoduren. saec. 14. Cod. Vatican. s. n. (ol. 122 bis). add. saec. 15/16. — 2, 2 oculis. — 4, 1 sanctissime. — Mel.: Sacris sollemniis.

302. De sancto Hyacintho.

Ad Laudes.

- | | |
|---|--|
| 1. Lucem reddit absconditam,
Lucem claudit qui manibus,
Iacinthum, gemmam inclitam,
Profert praedicatoribus. | 4. Damna restaurat grandinis
Caecisque reddit lumina,
Virtute Christi nominis
Inferni fugat agmina. |
| 2. Toga vestitus candida
Fulget doctrinae radiis,
Virginitate nitida
Crebris splendet prodigiis. | 5. Vicinum cernens exitum
Pacem suadet mutuam,
Caelo commendans spiritum
Lucem intrat perpetuam. |
| 3. Morbis succurrit hominum
Mille vitae periculis,
Procellas calcat fluminum
Semper potens miraculis. | 6. Maria, mater gratiae,
Mater misericordiae,
Tu nos ab hoste protege
Et hora mortis suscipe. |
7. Uni trinoque Domino
Sit sempiterna gloria,
Qui lucem sine termino
Iacintho dat in patria.

Ant. ms. S. Katharinae Divoduren. saec. 14. Cod. Vatican. s. n. (ol. 122 bis), add. saec. 15/16. — Mel.: Verbum supernum.

303. De sancto Hyacintho.

Ad Vesperas.

- | | |
|---|--|
| 1. In hoc Iacinti iubilo
Laetis canamus vocibus
Deumque pulso nubilo
Puris colamus mentibus. | 3. Patrem secutus filius
Patris refulget moribus,
Ducis secutus tramitem
Mundi triumphat principem. |
| 2. Dux et pater Dominicus
Hunc veste sacra induit,
Cunctisque mox apparuit
Vir factus apostolicus. | 4. Hunc virgo visit inclita,
Solatur et dat gaudia,
Miraculorum gloria
Christi coruscat gratia. |
5. Tibi, Deus, sit gloria
In sempiterna saecula
Et nos Iacinti precibus
Adiunge caeli civibus.

304. De sancto Hyacintho.

Ad Nocturnum.

- | | |
|--|--|
| 1. Christi fidelis nuntius
Dum praedicator mittitur,
Praeco salutis caelicus
Late per orbem funditur. | 3. Rectas salutis semitas
Dignosque mores edocet
Verboque tangens animas
Ad paenitendum commovet. |
| 2. Ubique verbi semina
Rectique spargit lumina,
Fluunt ab ore faculae,
Vitae coruscant regulae. | 4. Ab hoste praedas eripit,
Dum dura mollit pectora
Caeloque dignos efficit,
Dum frangit hostis robora. |

5. Tibi, Deus, sit gloria.

Hymn. ms. S. Petri Mart. Utinen. saec. 16. Cod. Civit. Utinen. s. n. —

305. De sancto Hyacintho.

Ad Laudes.

- | | |
|--|---|
| 1. Vox pura laudet exitum
Et cor Iacinthi meritum,
Corusca lustrat agmina
Bina decorus laurea. | 3. Ventis et undis imperat,
Fluctus tumentes edomat,
Aquaе stupescunt fluminum
Iterque praebent solidum. |
| 2. Hunc vita clara indicat,
Diversa signa intonant,
Secreta, quae hic noverat,
Totum per orbem praedicat. | 4. Vitae resurgunt mortui,
Claudique dantur gressui,
Caecis patescunt lumina,
Fantur Dei magnalia. |

5. Tibi, Deus, sit gloria.

Hymn. ms. S. Petri Mart. Utinen. saec. 16. Cod. Civit. Utinen. s. n.

306. De sancto Hyacintho.

Ad 1. Vesperas.

1. Laudibus celsis veneremur omnes
Festa, quae nobis tulit haec iucunda
Qua dies mirum redolens Iacintus
Spirat odorem.
2. Inde Iacintus merito vocaris,
Floribus praestas, quod et alta menti
Clarior gemmis residet virili
Inclita virtus.

3. Ordinem prudens animo calenti
Praedicatorum sitiens adisti,
Hinc comes nostri teneris ab annis
Progenitoris.
4. Hunc virum, tanto comitem parenti,
Pontifex summus fluitantis orbis
Inter electos modo collocatum
Mire beavit.
5. Gratias summas habeamus omnes
Et Deo soli pariterque trino,
Donet ut nobis precibus Iacinti
Scandere caelum.

Miss. Cracoviense imp. Cracoviae 1545. — 2, 2 praestes. — Im Officium des Heiligen.

307. De sancto Hyacintho.

Ad Matutinum.

- | | |
|--|---|
| 1. Gaude, mater ecclesia,
Tanto lustrata sidere,
Sed tu magis, Polonia,
De tanti patris munere. | 3. Sub Augustini regula
Sectatus patrem optimum
Mente profecit sedula
Norma virtutum omnium. |
| 2. Praedicatorum ordinis
Fulsit hic pater inclitus
Professor sacri numinis,
Primaevi patris socius. | 4. Hunc Ivo Romam contulit,
Ubi pater Dominicus
Habitum suum induit
Remittens eum patribus. |
| 5. Sit patri, nato, flamine
Honor, virtus et gloria,
Qui nos Iacinto supplici
Aeterna donet patria. | |

Miss. Cracoviense imp. Cracoviae 1545.

308. De sancto Hyacintho.

Ad Laudes.

- | | |
|--|---|
| 1. Aeterni regis maximus
Confessor novus floruit,
Et praeco caeli caelicus
Mundo patenter patuit. | 2. Hunc vita clara indicat,
Signa diversa intonant.
Secreta, quae hic noverat,
Magnum fuisse praedicant. |
|--|---|

- | | |
|---|--|
| <p>3. Caeci recepto lumine,
 Claudī redacti gressui,
 Dum vitae dantur mortui,
 Fantur Dei magnalia.</p> | <p>4. Mirandis his prodigiis
 Iacintus vivens claruit
 Et aliis quam plurimis
 Post mortem plus resplenduit.</p> |
| <p>5. Agamus Christo gloriam
 Pro tanti sancti moribus,
 Qui nos ad caeli curiam
 Conducatur eius precibus.</p> | |

Miss. Cracoviense imp. Cracoviae 1545. — Zu den Str. 2 und 3 vgl. Nr. 305, Str. 2 und 4.

309. De s. Iacobo Maiore.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Exsultet caelum laudibus,
 Nam Iacobus apostolus
 Ferens palmam victoriae
 Adivit regem gloriae.</p> | <p>5. Iosias tunc incredulus,
 Cum aegrum sanat Iacobus,
 Prostravit se apostolo
 Sic exclamans in bivio:</p> |
| <p>2. Hic in Iudaea praedicat,
 Hermagoras hunc insultat,
 Falsa profari Iacobum
 Demandat per discipulum.</p> | <p>6. Miserere, miserator,
 Quia vere sum peccator,
 Recipe me paenitentem,
 Vestigiis inhaerentem.</p> |
| <p>3. Philetus verbis saeviens,
 Sed Christi virtutem cernens,
 Quae fiebant per apostolum,
 Mox immutavit animum:</p> | <p>7. Ob hoc Herodes impius
 Et Abiathar saevissimus
 Necant sanctum morte dira,
 Sic vehitur ad gaudia.</p> |
| <p>4. Pater beatissime,
 Salva me tua prece,
 Festina me baptizare
 Et fac me Christum credere.</p> | <p>8. Laus patri sit ingenito
 Eiusque unigenito,
 Laus sit sancto spiritui
 Trino Deo et simplici.</p> |

Brev. ms. Pragense saec. 15. Cod. Capit. Praegen. O 83. — 2, 2 Hinc et magos insultat. — 3, 2 virtutem tunc cernens. — 5, 4 exclamant. — 6, 4 Tuis vestigiis.

310. De s. Iacobo Maiore.

Ad Vesperas.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Caeli regem collaudemus,
 Qui fidem Christi tenemus
 Et Iacobi sollemnia
 Colamus natalitia.</p> | <p>2. Apostolus hic nobilis
 Deo fuit amabilis,
 Ortus Christi prosapia
 Plenusque Dei gratia.</p> |
|--|--|

- | | |
|---|--|
| <p>3. Per Iudaeam praedicavit,
Fidem Christi dilatavit
Faciendo prodigia
Et signa in Samaria.</p> <p>4. Hunc Philetus admiratur,
De Christo dum loquebatur,
Vera probando omnia
Per vera testimonia.</p> <p>5. Virtutem sancti Iacobi
Philetus fert Hermogeni,
Qui repletus invidia
Non credit malitia.</p> | <p>6. Philetum stringit funibus,
Sed Iacobi virtutibus
Solvit vincla stringentia,
Sic solvat nostra vitia.</p> <p>7. Iacobe, pro nobis ora
Iesum Christum in hac hora,
Nostra fugando crimina
Nos ducas ad caelestia.</p> <p>8. Patri ac unigenito
Cum spiritui paraclito
Sit laus semper et gloria
Per saecula venientia.</p> |
|---|--|

Brev. Elnense imp. Perpiniani 1500. — 5, 1 Viriutem. — 6, 2 Lies Iacobus? — 6, 4 solvit. — 7, 4 duc ad.

311. De sancto Iacobo Maiore.

Ad Matutinum.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Psallat Christi ecclesia
Hymnos et laudes Iacobi
Et colat natalitia
Huius sancti apostoli.</p> <p>2. Qui devicit daemonia
Missa arte Hermogenis
Et fregit maleficia
Arta artibus magicis.</p> <p>3. Ad Iacobi imperia
Hermogenes deducitur,
Sed daemonum malitia
Magus laedens non laeditur.</p> <p>4. Virtus divina obvia,
Vertitur auctor criminum,
Intrans in eum gratia
Docet, ut noscat Dominum.</p> | <p>5. Ne alerent incendia,
Aqua damnant hoc suadente
Zabernas et cistargia
Plena libris artis pravae.</p> <p>6. Sic in Christi militia
Vincit vera humilitas,
Submittitur superbia,
Hoc probat Christi veritas.</p> <p>7. Nobis concessa venia
Nostrorum semper criminum
Nos colloset in gloria
Christus, salvator omnium.</p> <p>8. Sit laus patri et gloria
Eiusque sacro filio
Cum spiritu, qui est pia
Virtus atque dilectio.</p> |
|---|---|

Brev. Elnense imp. Perpiniani 1500. — 5, 2 hoc suade. — 5, 3 citargia. — 7, 1 Nobis concessa.

312. De sancto Iacobo Maiore.

Ad Laudes.

- | | |
|---|--|
| 1. Colant cuncti choro iuncti
Iacobi natalitia
Et compuncti Christo laeti
Psallant laudum praeconia. | 5. Multi orant et implorant
Suis delictis Iacobum,
Hunc honorant et laborant
Salvari per apostolum. |
| 2. Iste sanctus manet tantis
Decoratus miraculis,
Noster cantus nequit tantis
Demonstrare oraculis. | 6. Hunc habere gaudet vere
Hispaniaque translatum,
Det sedere et gaudere
Nobis inter principatum. |
| 3. Mutus fatur, mors fugatur
Virtute sancti Iacobi,
Visus datur, enervatur
Potentia diaboli. | 7. Sancte Dei apostole,
Ora pro nobis Dominum,
Ut caeleste nobis per te
Donet sacrum palatium. |
| 4. Sanctos stringit et affligit
Herodiana rabies,
Inde scidit et occidit
Iacobum inter acies. | 8. Sit patri atque filio
Cum spiritu paraclito,
Trinitati, unitati
Honorque sit perpetuo. |

Brev. Elnense imp. Perpiniani 1500. — 4, 3 Inde cidit. — 5, 2 delectis.

313. De sancto Iacobo Maiore.

In Lau'dibus.

- | | |
|--|--|
| 1. Iacobe, Christi famule,
Nostros clamores suscipe
Et tuis sacris precibus
Munda nos culpis omnibus. | 3. Tuoque nos precamine
Fac caeli summa scandere,
Quo valeamus cernere
Iesum, Iacobe, adnue. |
| 2. Ut luce spiritalium
Resplendentes charismatum
In corde simus sobrii,
In carne semper liberi. | 4. Praesta, pater piissime,
Patrique compar unice,
Cum spiritu paraclito
Regnans per omne saeculum. |

Brev. Xantonense imp. Pictavii 1542.

314. De ss. Iacobo et Philippo.

- | | |
|---|--|
| 1. Gaude, mater ecclesia,
Quae duo colis lumina,
Sanctorum bina gaudia
Mittis ad caeli limina. | 2. O beata candelabra
In poli sita culmine,
Peccati nosti tenebram
Vestro purgate lumine. |
|---|--|

- | | |
|--|--|
| <p>3. Olivae binae unicae
Pietatis et gratiae,
Iungatis nos angelicae
Sorti caelestis curiae.</p> | <p>5. Quaesumus, auctor omnium,
In hoc paschali gaudio
Ad caeli ducat gaudium
Nos horum intercessio.</p> |
| <p>4. O clara luminaria
In firmamento posita,
Ut sol, luna micantia,
Vestra nos iuvent merita.</p> | <p>6. Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti a mortuis,
Pro tuo passos nomine
Ditas aeternis praemiis.</p> |

Hymn. ms. S. Petri Mart. Utinen. saec. 16. Cod. Civit. Utinen. s. n. —
1, 4 lumina. — Mel: Magnae dies laetitiae.

315. De ss. Innocentibus.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Bethlehem tellus emicat,
Caelum resultans intonat,
Pollet decus ecclesiae
Infantum vernans sanguine.</p> | <p>3. Vivunt, regnant feliciter,
Laudant Deum concorditer
Clamant piisque fletibus
Necdum valentes vocibus.</p> |
| <p>2. In morte Christum praedicant,
In vita quod nequiverant,
Sunt martyres per gratiam
Non ulla propter merita.</p> | <p>4. Prius triumphant sanguine,
Quam detur illis vivere,
Scandunt caeli fastigia
Et nova cantant cantica.</p> |

5. Gloria tibi, Domine.

Ant. et hymn. ms. Scarense saec. [14. et] 15. Cod. Upsalen. C 422.
A. — Brev. Roschildense imp. Parisiis 1517. B. — 1, 4 Infantum servans
sanguinem B. — 3, 3 piis cum fletibus B. — 4, 1 Primo triumphant B. —
4, 2 Quo detur B. — 4, 4 cantent B. — Vgl Klemming III, 77.

316. De sancto Iudoco.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Ad laudes regis incliti
Pangamus hymnum socii
Festaque sancti Iudoci
Mente colamus supplici.</p> | <p>3. Regnum namque Britanniae
A fratre iussus regere
Hoc spreto solitariae
Vitae se coepit tradere.</p> |
| <p>2. Qui patre rege genitus,
A summo Deo deditus,
Contempto flore arido
Voto fervebat florido.</p> | <p>4. Virtutum per insignia
Tendens ad summa merita
Abiecta carnis sarcina
Ad Deum redit anima.</p> |

5. Omnes enim precamur te,
Nobis sis clemens, Iudoe,
Ut te colentes devote
Tecum vivamus aethere.

6. Gloria tibi, Domine,
Gloria, unigenite,
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 6, 3 sq.
fehlen; ergänzt nach Anal. IV, Nr. 184.

317. De sancto Iohanne Baptista.

Ad Completorium.

1. Baptista Christi inclite,
Qui Christum prodis indice,
Nos miserando respice
Culpasque nostras ablue.

Brev. ms. Bisuntinum saec. 14. Cod. Vesolen. 18. A. — Brev. Bisuntinum
imp. 1531. B. — Doxol: Deo patri sit gloria. etc.

318. In Nativitate s. Iohannis Bapt.

Ad Vesperas.

1. Gaudeat caeli triumphator coetus,
Orbis exsultet laudesque depromat,
Namque praelustris natus est Iohannes,
Vates et infans.

2. Concinat melos angelorum chorus
Ceterum omnes caelique cives,
Vultu benigno gratulentur tibi,
Nate formose.

3. Iamiam natalis celebris illuxit,
Dies optatus militis insignis,
Cuius in ortu iucundantur orbis
Almi penates.

4. Felix o puer, ablactatus nondum,
Iam qui collega superum effectus
Hodie sacras vagis inter ulnas
Matris excelsi.

5. O mirum ingens arcanumque munus
Caelitus lapsum, nutu namque divo
Reserat regem celebris in alvo
Miles accubans!

6. Stupet hic mundus siletque natura,
Quod luce carens abortivo puer
Cernat invisum innotumque noscat,
Colat, adoret.
7. Solus erutus legibus naturae
Donoque fretus numinis charisma
Nactus est adhuc septiforme sacri
Lucis inexpers.
8. Iubar emisit rutilans lux vera,
Hic namque solis sideris ad instar
Praeit aeterni ortum sicque regem
Praeco caelestem.
9. Ortus est infans angelorum consors,
Sono laetetur carmine cum dulci
Turma fidelis, blandiatur tibi,
Parvule pulcher.
10. Iubilet omnis synodus in ortu
Parvuli, quo lux magni praecursoris
Nemini dedit exitum maiori
Omne per solum.
11. Non lux, sed lumen eratque lucerna,
Corda perlustrans nubilosa, velut
Radius micans lucens et ignitus
Flaminis igne.
12. Da, sancte pater, baptista Iohannes,
Mentibus nostris fontem veri boni
Ingeri, quoque anhelantes iunge
Gratiae tuae.
13. Suscipe, precor, gratiose comes,
Vota precantum et nefanda nostrum
Precibus tuis deleantur cuncta
Crimina gratis.
14. Tibi, rex Christe, decus et potestas,
Honor et virtus sitque patri, cum quo
Semper et sancto flamine per cuncta
Saecula regnans.

Cant. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Marcian. It. IX 145. — 3, 2 optate. — 13, 4 Verbigena gratis. — Dieser und die folgenden, derselben Hs. entnommenen Hymnen rühren von einem Franziskanerdichter her: „Sequentes laudes vel hymnos seu sequentias ad honorem gloriosissimi Iohannis Baptistae composuit quidam frater minorum devotus eiusdem.“

319. In Nativitate s. Iohannis Bapt.

Ad Nocturnum.

1. Plaudat nunc sacra suboles et omnis,
Longa permensus mobilis qui aevi
Lustra deflebat reditus optati
Christi Messiae.
2. Angelus, sancti paranympheus nati,
Hunc qui praeconem cecinitque regis
Fore prophetam, gaudium rependat,
Quod repromisit.
3. Hic puer omni praeditus virtute,
Belliger uti animosus gigas,
Iter aggressus hispidum tutavit
Posteris cunctum.
4. Ut mitis praeco vocem se fatetur,
Verbi vox, inquam, cuius verba vitae
Sonus eructat aditumque pandit
Aetheris alti.
5. Vox, cuius cantus pabula propinat
Grata salutis, virtutis et vitae,
Pascua novae reserat amoena
Legis aeternae.
6. Hucque, huc omnes desides invitat,
Clamat peccantes, debiles impellit,
Fontis ad aquas sitibundos vocat
Gratis immensi.
7. Vox, pulchre cuius tonus introduxit
Praevium mundo luminis opaco,
Iubar aeterni pepulit et taetras
Nubes erroris.
8. Vox nempe, cuius harmonia norat
Intima caeli penetrare celsi,
Cuius est clavis ianuae caelestis
Lingua fidelis.
9. Vox namque, cuius melos demulcescit
Turbam lugubrem, cum lucis efulsit
Radius, taetri abditam ingenti
Carceris antro.

10. Vox, cuius vigor fidei decreta
Sanxit et legis, cuius est origo
Pervius ordo, finis atque norma
Cunctae virtutis.
11. Porrige robur, pugil et protector
Fortis in bello, turbae fatiscenti,
Fidei nostrae clipeus et ensis,
Haereses sterne.
12. Auge nunc, quaeso, regimen sollerti,
Desidis fuga latebras erroris,
Omnibus assis pietate gratis,
Perpes alumnus.
13. Tibi, rex Christe, decus et potestas,
Honor et virtus sitque patri, cum quo
Semper et sancto flamine per cuncta
Saecula regnans.

Cant. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Marcian. It. IX 145. — „Sequitur in eiusdem beati Iohannis Baptistae sollemnitate ad Nocturnum hymnus et cantatur in tono Virginis proles.“

320. In Nativitate s. Iohannis B.

Ad Laudes.

1. O decus patrum, baptista, que princeps
Trinique nexus, angelorum agalma,
Vitae dux, splendor, redemptoris nostri
Inclite praeco!
2. O sator virgo, o benigne pater,
Tibi ter triplex ierarchia pandit
Laudes hymnosque harmonia pari
Neumate dulci.
3. O miles alme gloriosae prolis,
Gaudium mundi, pater pietatis,
Unica nostrum spes atque dulcedo,
Arbiter legum.
4. Tu stupor fortis, fidei athleta,
Anachoreta mirae sanctitatis,
Tu robur mentis, dulcis amor urens
Pectora nostra.

5. Tu pavor orbis, dirigens auriga,
Deviis callis, miseris asyllum.
Exsistis tandem anchora periclis
Naufragi saeculi.
6. Tu caeli sidus, praefulgens aurora,
Gemma coruscans speculumque lucis,
Rectis es via, ferula caducis,
Lucifer caecis.
7. Angelis es par, mediator Christi,
Domini testis, sanctitatis forma,
Schola virtutum, venia precantum
Normaque morum.
8. Vinculum mundi stabilisque nexus,
Celebris thori mutuique forma,
Candens amoris methodus es fidis,
Gaudium maestis.
9. Centum lascivis debita relaxans
Terque quaterque castitatis loris
Mox voluptatis aestuantis dire
Frena conectis.
10. Protege, quaeso, gregem sauciatum
Dentibus saevis protervorum lupum,
Clade prostratum ingluviemque dele
Ensibus pacis.
11. Quaesumus clemens cernui Iohannes,
Semper exsistas supplicum interpres,
Ubi nunc felix gloria perenni
Sedes excelsus.
12. Salve, mi pater, orthodoxe, sancte,
Salve, iam vectus thronos in sublimes,
Eia, nunc ora, spiritus ut illuc
Scandere queat.
13. Tibi, rex Christe, decus et potestas,
Honor et virtus sitque patri, cum quo
Semper et sancto flamine per cuncta
Saecula regnans.

Cant. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Marcian. It. IX 145. — 1, 2 angelorum alga; da auch 10, 3 Elision eintritt und angelorum alga keinen Sinn zulässt, habe ich agalma vermutet. — 5, 2 Devios calle. — „Sequitur ad laudes eiusdem festi hymnus et cantatur in tono Ut queant laxis.“

321. In Decollatione s. Iohannis B.

Ad Vesperas.

1. Exsultet orbis pariterque polus
Astriger, almi militis depromat
Exitus, acta martyris baptistae,
Sancti Iohannis.
2. Laetus in laudes chorus angelorum
Tonet amoene resonans in astris,
Seriem sacrae passionis pandat
Incliti vatis.
3. Hic nam praelustris Christi protomartyr
Exstat; o felix ortus et occasus,
Quo tellus gaudet gaudentque caelorum
Turbae felices!
4. Arguit regis facinus Iohannes
Sanctus, invitat salutis ad iter,
Stolidum nescit monitis parere
Nequam adulter.
5. Quidnam, quod furit impudicus heros?
Inscius suae consortis et ultro
Aditum parat necis atque sui
Arbiter impos.
6. Improba fraudes mox virago gignit,
Fallax imago, cuius ira saevit,
Fremet et dolo proditque nefandum
Scelus in sanctum.
7. Iam virus viro suasit quae quondam
Spargit et ultrix, meminit livoris
Natae letalis, suadet scelesti
Callida pellex.
8. Iniquitatem peperit, quae parit
Virtuti parca pietatis parcam,
Tumet insanis uxor, immo fera,
Praeda Plutonis.
9. Aestuat regis facibus libido,
Inque vorago crapula turgescit,
Surgitque duplex Veneris et meri
Ignis scintilla.

10. Cum petit belva effrenata caput
Sacrum, Herodes periurus insanit,
Sed amor vincit lubricus Herodem
Namque dementem.
11. Prodit libido, temere cum iurat
Et, quod iuravit, perperamque iubet
Impleri, grave scelus, heu, migrat
Ense cruentus.
12. Tibi, rex Christe, decus et potestas,
Honor et virtus sitque patri, cum quo
Semper et sancto flamine per cuncta
Saecula regnans.

Cant. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Marcian. It. IX 145. — 6, 2 saec-
vis. — „In nomine Domini Iesu Christi Amen. Incipit alius novus hymnus
ad honorem decollationis beati Iohannis Baptistae in eodem metro et ab
eodem fratre compositus. Et canitur in tono Aures ad nostras.

322. In Decollatione s. Iohannis B.

Ad Nocturnum.

1. O gemma nitens, rosei candoris
Lux, sic foedavit rabies Herodis,
Ut molem sacri corporis invadat
Praedo crudelis.
2. Hactenus furens lactantes infecit
Alter Herodes, impius et alter
Nunc sacrum fundit sanguinem fidelis
Christi praeconis.
3. Quid namque, nequam iudex, immo reus,
Properas regnum temerare? numquid
Foret pudori profanare templum,
Censor infelix?
4. Plebis occisor, ultio reposit,
Arguit causa, vincula te manent,
Carcer accusat, cruor attestatur
Sacer effusus.
5. Improbus furor et funesta lues
Vinculis alligant, qui ligata solvit;
Flebilis error, heu, quam dolose
Patitur insons!

6. Fit cibus caedes, sanguis fitque potus,
Turget et alvus feritate tali,
Quo mensa caput gluviosus edax
Petat insontis.
7. Sanctum nec audax veritus est iudex,
Impius pium perdidit, sed vatem
Struma tyranni, iustus sicque tulit
Crimen iniqui.
8. Haud timet effrons carnifex et amens,
Agile scindit furibunda guttur
Frameam manu vibrans atque liquens
Gelidos artus.
9. Occidit saeculi iubar, et coruscus
Splendor polorum pallet et nigrescit,
Lactea Phoebe clipsatur, et sidus
Squalet opacum.
10. Iam silet verbum verbi voxque tacet
Altitonantis praeuique sonus,
Tubae clangentis iubilus sordescit,
Lyræ caelestis.
11. Tibi, rex Christe, decus et potestas,
Honor et virtus sitque patri, cum quo
Semper et sancto flamine per cuncta
Saecula regnans.

Cant. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Marcian. It. IX 145. — 4, 1 hinter ultio „vel talio“. — „In tono: Iste confessor.“

323. In Decollatione s. Iohannis B.

Ad Laudes.

1. Perge iam, pater, visiturus perge
Turbam lugubrem et quem prodidisti,
Nobis ostende patribus et illis
Christi triumphum.
2. Propera, praeco, percunctatus diu,
Praevius belli nuntia tropaeum
Specu ploratus et solare plebis
Taetro degentis.

3. Iterum sonet tuba praecursoris,
Revehat verbum virtutemque verbi
Terat et clara vox clamantis omnes
Threnorum manes.
4. Ceterum laetus avidis decantet
Gaudium captis: belliger invictus
Palnam laturus pacis appropinquat,
Foribus adest.
5. Pangat nunc hymnos laetabunda proles,
Quae quondam diu latitans in antro
Lucis inexpers elogos deflebat
Christo potenti.
6. Tu namque fervens crucifer salutis
Tutus et hermes, belliger qui quondam
Factus es lucis caritatis et ve-
xillifer impar.
7. Hactenus iste, ceu qui praeivit
Lucifer ortum micans et occasum
Solis aeterni, hesperus post illum
Sidera scandit.
8. O miles alme, sedulo paternas
Aures inclina precibus benigne
Supplicis tui mentis et affectum
Respice, quaeso.
9. Suscipe, pater, anhelantis vota
Sacer alumni, strenue triumphans
Princeps, athleta, tramite labentes
Dirige recto.
10. Custos et rector, dux et via, portus
Nostrae salutis, gaudium et amor,
Vinculum pacis, spes et vita, salus,
Sancte Iohannes.
11. Memor exsistas laudes qui tuorum
Supplicum tibi iugiter depromunt
Voce sonora cernuoque poscunt
Te, pater pie.

12. Tibi, rex Christe, decus et potestas,
Honor et virtus sitque patri, cum quo
Semper et sancto flamine per cuncta
Saecula regnas.

Cant. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Marcian. It. IX, 145. — 6, 2 ermes. — „Sequitur de eodem hymnus ad laudes. Et cantatur in tono Virginis proles.“

324. De s. Iohanne Bridlingtoniensi.

- | | |
|---|---|
| 1. Alma mater ecclesia
Congratuletur filio,
Quem divina clementia
Caeli iunxit collegio. | 4. Expers peccati scrupuli
Columna fit ecclesiae
Sicque de luto figuli
Formatur in vas gloriae. |
| 2. Hunc senescente saeculo
Contra noxas remedium
Iohannem dedit populo
Iesus, salvator omnium. | 5. Parent ipsius precibus
Morbi, mare, daemonia
Quem unxit prae consortibus
Spiritus sancti gratia. |
| 3. Indutus stola fragili
Fragilitatem exuit
Et eius menti stabili
Charisma Christus influit. | 6. Precamur, sancta trinitas,
Ut nos a morte triplici
Conservet tua bonitas
Iohannis prece•supplici. |

Orat. ms. Carthus. Colonien. saec. 15. Cod. Colonien. 28. — 2, 1 Nunc. — 6, 3 sua bonitas. — „De sancto Iohanne, priore regularium 10. Oct.“

325. De s. Iohanne Evang.

1. Iohannes, virgo, dilecte a Domino,
Verbi superni a patre progeniti
Gratiam nobis deprecare miseris,
Ut tuis semper sublevemur meritis.
2. Cuius exivit sonus in fines terrae,
Evangelista, deitatis symmista,
Oratu tuo obtine, reatibus
Nostris ignoscat ut summa clementia.
3. Sit tibi, Iesu, benedictae Domine,
Gloria, virtus, honor et imperium
Una cum patre sanctoque paraclito,
Cum quibus regnas Deus ante saecula.

Diurn. et hymn. ms. Benedict. Suevic. saec. 15. Cod. Upsalen. C 477. — 2, 2 divinitatis. — Die erste Str. dieses Hymnus kommt auch in dem Hymnus Andrea Christi sanctorum mitissime vor, gehört aber demselben nicht ursprünglich an.

326. De s. Iohanne Evang.

Ad Matutinum.

- | | |
|--|---|
| 1. Sublimem tui gloriam
Volentes pie pangere,
Iohannes, Dei gratiam
Optamus tuo munere. | 6. Prae cunctis te discipulis
Valde dilexit Dominus
Et eius semper oculis
Te respicit nunc comminus. |
| 2. Tu multum es laudabilis
Coetu cunctarum gentium,
Es nam sobrinus nobilis
Iesu, factoris omnium. | 7. Iairi Iesus filiam
Resurgere dum voluit,
Ibi tuam praesentiam
Te diligens adhibuit. |
| 3. Liquisti patrem, retia
Et navim maris fluctibus,
Sequens Iesu vestigia,
Vocantis te, in omnibus. | 8. Sic zelus Dei ferveat
Nostris, Iohannes, intimis,
Quod nobis semper libeat
Nostris favere proximis. |
| 4. Electus tu a Domino
In aevum virgo permanes,
Nam nuptiarum termino
Tu sine sponsa remanes. | 9. Et Iesu dulcis pietas
Spem nobis sic adaugeat,
Ut nulla nos tepiditas
A cultu Dei retrahat. |
| 5. Vidisti Iesu faciem
In sacri montis culmine
Non fide, sed per speciem,
Vestitam divo lumine. | 10. Patri, nato, paraclito
Semper reddamus gloriam,
Sancti Iohannis merito
Intremus caeli curiam. |

Officium novum beati Iohannis imp. Bononiae 1525.

327. De s. Iohanne Evang.

Ad Laudes.

- | | |
|--|--|
| 1. O gratia quam maxima,
Quam tibi Iesus dulciter
In cena fecit ultima
Te amans tam suaviter. | 3. Cum supra Iesu pectore
Recubuisti lacrimans,
De falsi Iudae scelere
Cum grandi poena cogitans, |
| 2. Secreta nam caelestia
Tibi monstravit trinitas,
Quae nulli fecit pervia,
Quos habuit antiquitas. | 4. Iesus quam dulce basium
Infixit tuis labiis,
Deplorans, heu, nimium
Iam se daturus impiis. |

- | | |
|---|---|
| <p>5. In horto patri supplicans,
Ut calix a se transeat,
Iesus dixit, ut vigilans
Mens tua secum maneat.</p> <p>6. Dum fugiunt discipuli,
Iohannes, Iesum sequeris,
Dum captum trahunt famuli,
In morte tu non deseris.</p> <p>7. Ore dixisti quaerulo
Mariae: Iudas trucibus
Nunc Iesum dedit osculo
Pharisaeorum manibus.</p> | <p>8. Quam sibi valde condolens
Ducis ad crucem filii,
Omni virtute redolens
Quem blasphemabant impii.</p> <p>9. Scutum impenetrabile
Nos fidei sic muniat,
Daemonium terribile,
Iohannes, ne percutiat.</p> <p>10. Patri, nato, paraclito
Semper reddamus gloriam,
Sancti Iohannis merito
Intremus caeli curiam.</p> |
|---|---|

Officium novum beati Iohannis imp. Bononiae 1525.

328. De s. Iohanne Evang.

Ad Primam.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Ploratus, heu, largiter
Cernens matrem cum filio
In passione graviter
Diro pungi supplicio,</p> <p>2. Vexisti semimortuam
Ah! matrem quantis lacrimis,
Quam tu credebas mortuam
Poenis nati gravissimis.</p> <p>3. In cruce Dei filius
Matrem pendens adloquitur:
Hic, ecce, tuus filius
Pro me tibi conceditur.</p> | <p>4. Sicque sepulto filio
Curam matris in omnibus
Egisti sine vitio,
Dum vixit cum mortalibus.</p> <p>5. Mundemus cor sollicite,
Iohannes, tuis precibus,
Quo Deum nos explicite
Cernamus in caelestibus.</p> <p>6. Et fortis patientia
Amore Iesu toleret
Cuncta nobis contraria
Et tolerando superet.</p> |
|--|--|

7. Patri, nato, paraclito.

Officium novum beati Iohannis imp. Bononiae 1525. — 2, 1 Rexisti.

329. De s. Iohanne Evang.

Ad Tertiam.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Praecurris tu ad tumultum
Petrum, cum resurrectio
Iesu foret per angelum
Discussa, tunc cum gaudio</p> | <p>2. Eductis limbo patribus
Iesus ornatus gloria
Iam superatis hostibus
Surrexit die tertia.</p> |
|--|---|

- | | |
|--|--|
| 3. Tunc oscularis dulciter
Eius sacrata stigmata,
Qui tibi sufflans leniter
Magna dedit charismata. | 5. Amara Iesu passio
Nostram, Iohannes, animam
Sic cruciet absinthio,
Quod Christo reddat intimam. |
| 4. In mare de discipulis
Unus ex septem retia
Mittens agnoscis oculis,
Surrexit qui cum gloria. | 6. Et dulcis amor virginis
Cor nostrum sic transfodiat,
Quod zelo sui numinis
Semper languere faciat. |

7. Patri, nato, paraclito.

Officium novum beati Iohannis imp. Bononiae 1525.

330. De s. Iohanne Evang.

Ad Sextam.

- | | |
|---|---|
| 1. Cum patribus et angelis
Scandentem grandi gloria
Cernis, Iohannes, oculis
Iesum caeli sublimia. | 6. Plenum veneno calicem
Dum potas, nihil nocuit
Ob fidem Iesu simplicem,
Quae semper cunctis profuit. |
| 2. In te, dum mentis oculos
In caelum tenes, spiritus
Descendit, qui apostolos
Sanctificavit caelitus. | 7. Iussu maligni hominis
Intrasti fervens oleum
Pro laude Iesu nominis,
Quod tu sensisti roseum. |
| 3. Cum mater nato spiritum
Sine dolore iubilans
Restituit, est creditum,
Quod praesens eras lacrimans. | 8. Pro tui Iesu nomine
Tractus in Patmos insula,
A Deo, non ab homine
Discis ventura saecula. |
| 4. Cadaver sacratissimum
Cuius dedisti tumulo
Hymnum canens dulcissimum
Ore dolore tremulo. | 9. Iohannes, semper humiles
In actibus et sensibus
Simus et boni pugiles
Pro Christo cum daemonibus. |
| 5. Tu ad Electam dirigis
Ad Gavum et ecclesias
Tabellas, quibus colligis
Mentes a Christo devias. | 10. Patri, nato, paraclito
Semper reddamus gloriam,
Sancti Iohannis merito
Intremus caeli curiam. |

Officium novum beati Iohannis imp. Bononiae 1525. — 5, 4 Mente.

331. De s. Iohanne Evang.

Ad Nonam.

- | | |
|---|--|
| 1. Reversus ab exilio
In Ephesum ingrederis,
Ubi cum magno gaudio
A populo reciperis, | 4. Cratonem cum discipulis
Trahis a cultu daemonum,
Qui gemmas coram populis
Plausu fregerunt hominum |
| 2. Dum clamat: sit a numine,
Qui vitam praestat homini,
Benedictus, in nomine
Qui venit, ecce, Domini. | 5. Sic nostrum cor contritio,
Iohannes, dure torqueat,
Quod cuncta facta vitio
Nobis deflere libeat. |
| 3. Tunc Drusianam suscitās
Pulsatus piis precibus
Fidelium, nam caritas
Eius subvenit omnibus. | 6. Servemus pure regulam,
Statuta patrum omnium,
Et mentem nostram quaerulam
Non faciat daemonium. |

7. Patri. nato, paraclito.

Officium novum beati Iohannis imp. Bononiae 1525.

332. De s. Iohanne Evang.

Ad Vesperas.

- | | |
|---|---|
| 1. Divina generatio
Per te nobis innotuit
Et Iesu praedicatio,
Qui nulli unquam nocuit. | 5. Et tunc festinus insequens
Equo carum discipulum,
Clamabas ista prosequens:
Quid fugis istum vetulum? |
| 2. Quod erat in principio
Verbum et verbum dulciter
Apud Deum, eloquio
Scribis tuo veraciter. | 6. Redi, fili dulcissime,
Ad me, qui tibi spondeo
Pati velle gravissime
Pro naevo tui felleo. |
| 3. O perquam magna caritas
In tuo dulci pectore
Ardebat, quam antiquitas
Audivit nullo tempore. | 7. Ut nos servemus animam,
Iohannes, in caelestia,
Frangamus vitam pessimam
Et eius desideria. |
| 4. Cum requirens depositum,
Iohannes, ab antistite,
Intelligens depertitum
Diu flevisti concite. | 8. Cum cogerit necessitas
Reddendi Deo debitum,
Tunc Christo tua caritas
Nostrum commendet spiritum. |

9. Patri, nato, paraclito.

Officium novum beati Iohannis imp. Bononiae 1525.

333. De s. Iohanne Evang.

Ad Completorium.

- | | |
|---|--|
| 1. Iohannes, ad caelestia
Volens te Iesus ducere,
Cum nulla te molestia
Vitam fecit perficere. | 5. Iohannes, semper cupimus
Accepta tibi facere,
Sic servos tuos petimus
Velis pie recipere. |
| 2. Nam tumulum ingrediens
Vivus dedisti spiritum,
De quo manna scaturiens
Tuum testatur meritum. | 6. Cor tibi, corpus, animam
Et cunctas vires corporis
Damas pendentes intimam
Dilectionem pectoris. |
| 3. Contemplas caeli curia
Vestitus iuxta virginem
Secundae stolae gloria
Summi patris imaginem. | 7. Nostrum tibi servitium
Sic te delectet iugiter,
Ut tuum patrocinium
Experiamur dulciter. |
| 4. Ob doctoratus praemium
Cum gloria martyrii
Et virginale lilium
Te laudant Dei filii. | 8. Patri, nato, paraclito
Semper reddamus gloriam,
Sancti Iohannis merito
Intremus caeli curiam. |

Officium novum beati Iohannis imp. Bononiae 1525.

334. De sancto Iohanne Reomaensi.

Ad Vesperas.

- | | |
|---|--|
| 1. Sacra dies infunditur
Iohannis, viri incliti,
Triumphis, signis, meritis
Confessorum praecipui. | 4. Oppressos fame valida
Plena refovet gratia,
Cum vacuantur horrea
Frugum meretur copia. |
| 2. Hic probus ab infantia
Deserti petit abdita;
Anguem virosum perimit
Et principatur monachis. | 5. Iam candidatus senio
Evocatur a Domino,
Fine beato transiens
Super laetatur aethera. |
| 3. Fugantur saevi daemones,
Muto loquela redditur;
Quem mors raptabat citima,
Sacra reformant munia. | 6. O pater divinissime,
Tuos conserva filios,
Quos nunc grataris proprios,
Concives posce caelicos. |
7. Cum quo nos, summa deitas,
In trinitate unitas,
Tua captet aeternitas
Et habeat infinitas.

335. De s. Iohanne Spoletino.

Ad Vesperas.

- | | |
|---|--|
| 1. Collaetetur ecclesia
Laudans principem gloriae,
Beneventana patria
Magis exsultet hodie. | 5. Multis fulgens miraculis
Vocatus est a saeculo,
Caeli coniunctus vernulis
Vivit in pace sedula. |
| 2. De Spoleti provincia
Sanctus Iohannes micuit,
Quem sempiterna gloria,
Caelestis vita decuit. | 6. Eius nos iuvent merita,
Sua festa qui colimus,
Ut nobis fiat praestita
Caeli vita, quam cupimus. |
| 3. In Apicii finibus,
Non longius a Samnia,
Exemplis et virtutibus
Fulsit eius praesentia. | 7. O monachorum gloria,
Eremitarum gaudium,
Quem Spoletina patria
Produxit quasi lilium, |
| 4. Ibi caecos illuminat,
Leprosis fit obsequio
Et daemons eliminat
Ab hominum consortio. | 8. Sancte Iohannes, gratia
Reple corda fidelium,
Quae post haec transitoria
Caeleste gustent gaudium. |
| 9. Per saecula sit omnia
Deo laus summae gloriae,
Qui vexit ad caelestia
Sanctum Iohannem hodie. | |

Collect. ms. Constantini Caietani saec. 16/17. Cod. Alexandrin. 94. — „Ex Antiphonario collegiatae ecclesiae terrae Apicii anni 1337.“

336. De s. Iohanne Spoletino.

Ad Laudes.

- | | |
|--|---|
| 1. Laudemus Christum Dominum,
Qui nobis suum famulum
Concessit per suam gratiam,
Ut salvet istam patriam. | 3. Gaude, castrum Apicii,
De tanto dono Domini,
Glorificate Dominum,
Qui salvat istum populum. |
| 2. Venite, omnes populi,
Laudare nomen Domini,
Ut donet nobis gaudium,
Quis suum dedit famulum. | 4. Iesu Christe piissime,
Rogamus te, sanctissime,
Ut huius almi gratia
Nobis remittas debita. |
| 5. Gloria tibi, Domine,
Iesu, salvator omnium,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula. | |

Collect. ms. Caietani Constant. saec. 16/17. Cod. Alexandrin. 94. — 1, 3 Eine Silbe zuviel; lies: Dedit per suum? — 2, 4 Quem suum dedit famulum. — „Ex Antiph. collegiatae ecclesiae terrae Apicii anni 1337.“

337. De sancto Ioseph.

Ad Vesperas.

1. Ut collaudare gentes catervatim
Queant supremi Ioseph generosi
Miras virtutes patriarchae, Deus,
Largire vota.
2. Quem de regali stirpe procreatum
Praedestinavit pater aeternalis,
Ut tantae stirpis unicus virgini
Desponsaretur.
3. Dum cognovisset sponsam concepisse,
Stupescibat, cum unde nesciebat,
Virginem castam nolle traducere
Tunc cogitabat.
4. Et confortatur angelo dicente:
Noli timere, Ioseph, fili David,
Natum in ea beatum efficit
Spiritus sanctus.
5. Hinc Ioseph laetus coniugem accepit
Et famulatur intactam praeservans
Ac curam gessit praebuitque victus
Necessaria.
6. Cum iuxta regis Augusti edictum
Describeretur universus orbis,
Sponsae praegnantis impleti sunt dies,
Parit Bethlehem.
7. Ioseph collatum est ex hoc regalis
Sacerdotii veri signaculum,
Cum in praesaepe tractans et adorans
Iesum obtulit.
8. Gloria patri, summo genitori,
Gloria nato, pio redemptori,
Flamini sancto, nexui utrius,
Honor aequalis.

Diurn. ms. et hymn. Benedictin. Suevic. saec. 15. Cod. Upsalen. C 477. A. — Brev. Rigense imp. s. l. 1513. B. — 2, 3 stirpis unitas A. — 3, 1 Cum B. — 5, 1 Hinc laetus Ioseph B. — 6, 3 impletae A. — Für diesen und die zwei folgenden Hymnen vgl. H. v. Bruiningk in Mitteil. aus d. livländ. Geschichte. XIX, S. 239 ff.

338. De sancto Ioseph.

Ad Nocturnum.

1. Multaque mira hinc fidei nostrae
Sunt patefacta Ioseph mysteria,
Et de futuris in Christo complendis
Plene docetur.
2. Crudelitatem sentiens Herodis
Natum cum matre ducit in Aegyptum
Et more patris toto infantiae
Pavit decursu.
3. Infantem Iesum tractavit manibus,
Gestavit ulnis, suaves amplexus
Praebuit illi, ob id praecipue
Sollemnizandus.
4. Et cum defunctus esset rex tyrannus,
Iesum reduxit iubente angelo
In terram Iuda, Archelaum timens
Vadit Nazareth.
5. Non solum Dei mater suo sponso,
Sed, cui genu inclinatur omne,
Mandatis suis oboedit quam prompte
Et comitatur.
6. Gloria patri, summo creatori,
Gloria nato, pio redemptori,
Flamini sancto, nexui utrius,
Honor aequalis.

Diurn. et hymn. ms. Benedict. Suecic. saec. 15. Cod. Upsalen. C 477. A. —
Brev. Rigense imp. s. l. 1513. B.

339. De sancto Ioseph.

Ad Laudes.

1. Hunc de profundo corde deitatis
Praedestinavit Deus, exaltavit
Prae cunctis scribis, regibus, prophetis
Ritus veteris.
2. Ceteri namque reges et prophetae
Christum venturum simul praedicabant,
Quem Ioseph iustus osculatur pio
Osculo oris.

3. Iam figuratus Ioseph patriarchae,
Qui vinctos regis carcere servavit,
Hic redimentem captos universos
Cura tutavit.

4. Ille coniectat somniorum verba,
Egenti vendit populo frumenta,
Fidem observat regi, stupri nefas
Inire spernens.

5. Isti patescunt divinatorum sensus
Mysteriorum, fontem panis vitae
Propinat orbi, castitatem puram
Deo devovit.

6. Gloria patri, summo genitori,
Gloria nato, pio redemptori,
Flamini sancto, nexui utrius,
Honor aequalis.

Diurn. et hymn. ms. Benedictin. Suecie. saec. 15. Cod. Uspalen. C
477. A. — Brev. Rigense imp. s. l. 1513 B. — 2, 2 praedicaverunt A. —
5, 4 devotam A.

340. De sancta Iuliana.

1. Exorta prole nobili
Iuliana, flos virginum,
Vicit hoc orbe mobili
Minas feraces hominum.

2. Sponso Iesu fideliter
Soli placere cupiens,
Sprevit terrenum fortiter
Poenas crudeles patiens.

3. Exspoliata caeditur
Virgis a sex militibus,
Capillis post appenditur,
Ut immolet daemonibus.

4. Virgo manens impavida
Traditur diro carceri,
Luce tamen perfulgida
Illuminatur celeri.

5. Ubi deceptor astitit
Vultum gerens angelicum
Fraudisque plenum praestitit
Consilium domesticum.

6. Orationis lumine
Docta cepit daemonium,
Catenarum ligamine
Iecit in sterquilinum.

7. Haec gloriosa facie
Ponitur rota ferrea,
Sed angelorum acie
Frangitur sicut cerea.

8. Videntes haec pontifices
Baptizari se faciunt,
Saevientes carnifices
In virginem insaniunt.

- | | |
|---|---|
| 9. Trahentes ad interitum
Igni martyr proicitur,
Sed gaudens tradit spiritum,
Dum caput ense caeditur. | 10. Honor, virtus et gloria
Sit Christo, sponso virginum,
Qui nos ad caeli gaudia
Ducat post vitae terminum. |
|---|---|

Offic. ms. S. Galgani saec. 16. Cod. Senen. F VI, 22. — 9, 3 tradidit. —
Nach Str. 5. Divisio.

341. De sancto Iuliano.

1. Solvimus magno superoque regi
 Ora concordēs iubilo canoris
 Semper et Christum rogāmus omnes
 Cunctipotentem.
2. Qui summi patris veniens potentis
 Se dedit nobis tibi de superno
 Corporis vires validas ministrans,
 O Iuliane.
3. Furia saevi premeris tyranni,
 Firmus in atris monitu fidelis
 Stringeris Christo, triduo retentus
 Carcere taetro.
4. Aspidum diros colubrique morsus
 Turbidas spernens maris et procellas,
 Sarcinam tecum superare mundi
 Posce labantis.
5. Spiritum reddens pretium beati
 Muneris, caeli stabilem coronam,
 Gliscis ac vilem pedibus premendo
 Caelica pandis.
6. Nos eius saltem meritis benigne
 Poscimus, Christe, lavacro renati,
 Ut tuo donet populo salutem
 Omne per aevum.
7. Sit Deo patri genitoque proli,
 Spiritui sancto decus et potestas,
 Qui Deus vivit sine fine regnans
 Trinus et unus.

Brev. ms. Civitatense anni 1476. Cod. Civitat. LXXIV. (28). — 3, 1
Dura nimis saevi premeris. — 3, 3 Stringes.

342. De sancto Iuliano.

In Laudibus.

- | | |
|---|---|
| 1. Te, Iuliane, canimus
Festumque diem colimus
Et vota pia solvimus
Melosque laeti pangimus. | 3. Tu vires hostis impii
Fretus virtute Domini
Poenasque carnis superans
Polum petis tripudians. |
| 2. Tu laureatus sanguine
Caeli fulges in culmine,
Coniunctus choro martyrum,
Sanctissime christicolum. | 4. Nunc adunatus angelis
Tuis faveto famulis,
Quo tecum parte fulgida
Laeti sumamus praemia. |
| 5. Laus sit parenti Domino,
Laudes canamus unico,
Laus sit amborum flammis
In saecula laudabili. | |

Passion. ms. Gemmeticense saec. ¹¹/₁₂. Cod. Rotomagen. 1396 (U 135).

343. De s. Iuliano Cenomaunensi.

In 1. Vesperis.

1. Ut tuis dignas meritis camenas
Concinat praesens, Iuliane, coetus,
Expia nostros precibus reatus,
Inclite praesul.
2. Stirpe Romana generosus alma
In Iesu cena puer adfuisti,
Te docet Petrus documenta sacris
Actibus explens.
3. A Deo missus Cenomannis almae
Surculos primus fidei propagas,
Roborant fontis scatebrae suborti
Dogma salutis.
4. Principis limen subiens ademptum
Reddis admota cruce lumen orbo,
Diluit princeps hominis vetusti
Gurgite naevum.
5. Plebis adiunctae procerumque turmae
Fonte detergunt maculas renati,
Error abscedit fideique iacta
Semina surgunt.

6. Summa, te totus veneratur orbis,
Trinitas reatrix opifexque rerum,
Supplices audi pia concrepantes
Carmina laudum.

Brev. Dolense imp. s. l. 1519.

344. De s. Iuliano Cenomannensi.

Ad Matutinum.

1. Nube subducta sceleris paterni
Lucis aeternae iubar emicare
Nuntias Christum, dubiosque firmant
Signa secuta.
2. Auribus surdi bibulis sonoras
Hauriunt voces solidisque claudi
Cursitant plantis, erebi ministros
Iussibus arces.
3. Turgidis leprae maculosa squamis
Membra restauras, labra clausa solvis,
Integrum visus redeunt ad usum
Lumine capti.
4. Tres truci mortis iaculo peremptos
Redditos vitae revocas ad auras,
His Iesum fassis fera perfidorum
Corda domantur.
5. Sic bases firmans fidei profanos
Irritas cultus, teris idolorum
Fana, caelorum Domino dicatas
Erigis aras.
6. Summa te totus veneretur orbis
Trinitas reatrix opifexque rerum,
Supplices audi pia concrepantes
Carmina laudum.

Brev. Dolense imp. s. l. 1519.

345. De sancto Iuliano.

1. Iuliani nunc martyrīs
Unicus filius patris
Quae gesserit miraculis,
Hymnis cantemus debitis.
2. Requisitus a parente,
Coniugii formam sequi
Mente recusans invida
Deum die nocte orat.
3. Hic Deum vidit in somnis
Consolantem prae copula:
Accipias, en, virginem,
Quam intactam mihi serves.
4. Segregabo ipse vestram
A carnis vobis semitam,
Ero tecum cubiculo,
Viriliter age coepta.
5. Unica virgo quaeritur,
Basilissae coniungitur,
Adest thoro Dei chorus,
Liliis, rosis amoenus.
6. Facto noctis silentio
Loquitur virgo virginem:
Unde hi miri odores
Sunt hic nobis propitii?
7. Fine carens principio
Odor adest hic caelicus,
Quaerens nos Deo dicari,
Quod concordēs mox voverunt.
8. Psallebat hinc Dei chorus,
Plaudebant hinc virgines:
Nunc, nunc coronas meruit
Pia horum coniunctio.
9. Hinc diva fit divisio,
Monasteria dedicant
Et diversa sollicitant,
Lumen vitae multis ferunt.
10. Basilissa, virgo felix
Ac terreni loci satur,
Migrat optata Domino
Iuliani vitam maerens.
11. Tunc adventans asperrima,
Vae, Martiani rabies
Omnes indicit idolis
Entes sub se adorare.
12. Multitudo copiosa,
Sequipeda Iuliani,
Concrematur persubito
Iussa regis despiciens.
13. Iubet tyrannus martyrem
Sanctum grave fustigari,
Pincerna primus feriens
Oculi lumen amisit.
14. Orationis ambitu
Pulverisantur idola,
Pincernae lumen rediit,
Deo martyr efficitur.
15. Dehinc Martiani natus
Celsius, ecce, unicus
Iuliani discipulus
Fit cum matre et aliis.
16. Et baptizatur Celsius
Atque mater similiter,
Orantes cum Iuliano,
Idolorum ruit templum.
17. Et dempta cute capitis
Saevis traditur bestiis,
Gladii palmam referens
Nunc regnat in caelestibus.

346. De ss. Iuliano et Basilissa.

In 1. Vesperis.

- | | |
|--|--|
| 1. Germinantes ut lilium
Cum candidato cuneo
Sancti mercantur praemium
Vitae cruore roseo. | 4. Iulianus est nomine
Cum Basilissa virgine,
Quorum tropaea pangimus
Dum in hac vita degimus. |
| 2. In nuptiali foedere
Morem servant virgineum,
In huius vitae carcere
Fulgent ut sidus aureum. | 5. Dum mortem diram pertulit
Candidatum collegium,
Aurum, tus, murrā protulit
Acceptum sacrificium. |
| 3. Mentem servant angelicam
Tecti carnis velamine
Vitamque apostolicam
In sanctorum regimine. | 6. Gloria tibi, Domine,
Manifestato sidere,
Qui fortes in certamine
Coronasti in aethere. |

Brev. Elnense imp. Perpiniani (Rosenbach) 1500. — 1, 2 cureo. — 2, 4 Fulget. — 3, 2 Tectis. — 4, 3 tropaeo. — 4, 4 in hanc vitam. — 5, 3 tus mirando pertulit. — 6, 2 Manifestator.

347. De ss. Iuliano et Basilissa.

Ad Matutinum.

- | | |
|--|--|
| 1. Triumphali memoria
Gratulatur ecclesia,
Liliali fragrantia
Suspirat ad caelestia. | 2. Iulianus et comites,
Praeclara caeli sidera,
Mundi transcendunt limites
Laetati super aethera. |
| 3. Gloria tibi, Domine,
Manifestato sidere,
Qui fortes in certamine
Coronasti in aethere. | |

Brev. Elnense imp. Perpiniani (Rosenbach) 1500. — 3, 2 Manifestator.

348. De ss. Iuliano et Basilissa.

Ad Laudes.

- | | |
|---|---|
| 1. Praelati sancti ordinis
Subiectis sic perficiunt,
Quod laureati agminis
Coheredes sufficiunt. | 2. Perferentes supplicia
Coruscant per prodigia,
Consummantur in gratia,
Coronantur in gloria. |
|---|---|

- | | |
|--|--|
| 3. Cum mortem diram pertulit
Candidatum collegium,
Aurum, tus, murram obtulit
Acceptum sacrificium. | 4. Gloria tibi, Domine,
Manifestato sidere,
Qui fortes in certamine
Coronasti in aethere. |
|--|--|

Brev. Elnense imp. Perpiniani 1500. — 2. 2 per fehlt. — 3, 2 Candi-
tum. — 4, 2 Manifestator.

349. De sancto Iusto Puero.

In 1. Vesperis.

- | | |
|--|--|
| 1. Regem laudemus supernum,
Qui Iustum, mitem puerum
Novennem, per martyrium
Ad caeli duxit solium. | 6. Hos Belvacensis regio
Ternos regressos recipit
In pulchro fontis spatio;
Paganus iram concipit. |
| 2. Patre Iustino genitus
Iustus, matre Felicia,
Edocetur divinitus,
Qua patruus sit patria. | 7. Cum fratre pater latitat,
In fide Iustus militat,
Pro qua caput huic caeditur
Et caesum patri loquitur : |
| 3. Iustinianus mansitat
Ambianis, hic clamat;
Audit, gaudet, egreditur
Iustinus, Iustum sequitur. | 8. Me matri pater deferat
Sepulcro corpus tradito,
In terra corpus deseras,
Caput matri da, rogitō. |
| 4. Ad dictam urbem veniunt,
Collecti sunt hospitio
Lupi, Lupum conveniunt
Super fratris exsilio. | 9. Sepulcro corpus traditur,
Et caput matri geritur
Ad summi regis gloriam,
Qui Iusto dat victoriam. |
| 5. Iustinianus igitur
A Lupo gratis redditur,
Quem Iustus iuste liberat,
Ignotum quia noverat. | 10. Sit laus, honor et gloria
Patri, nato, spiritui
Sancto, cuius clementia
Cives regnant in patria. |

Brev. Silvanectense imp. Parisiis 1521. — 8, 1 deferat pater.

350. De sancto Iusto Puero.

Ad Matutinum.

- | | |
|--|--|
| 1. Noster chorus hymnum canat
Christo, regi gloriae,
Qui nos lavat, qui nos sanat
Ex morbo tristitiae,
De quo vita, salus manat
In vallem miseriae. | 2. Adest Iusti dies festus,
Quo gaudet ecclesia,
Quem Iustinus, vir honestus,
Gignit de Felicia,
Cuius pios ornat gestus
Novennis infantia. |
|--|--|

- | | |
|--|--|
| <p>3. Iustini Iustinianus
 Frater exsul patria,
 Ambianis quod sit sanus
 Lupo dans obsequia,
 Iustus narrat mente canus
 Dei per indicia.</p> | <p>6. Revertuntur, Belvacensis
 Illos silva recipit,
 Sed paganus praeostensis
 Specu fratres eripit,
 Caput Iusti truncat ensis,
 Iustum Deus suscipit.</p> |
| <p>4. Pater audit, gaudet, vadit
 Eius fratrem quaerere,
 Hanc in viam sese tradit
 Pater, Iustus propere,
 Urbis dictae civem adit
 Lupum pater prospere.</p> | <p>7. Iusti caput patri fatur
 In miro miraculo:
 Caput matri deferatur,
 Corpus detur tumulo;
 Paret ille, corpus datur
 Belvacensi loculo.</p> |
| <p>5. Frater fratrem non cognoscit,
 Sed a Iusto noscitur,
 Quem per flamen sanctum noscit,
 Quo plene perfunditur,
 Frater reddi fratrem poscit,
 Aere gratis redditur.</p> | <p>8. Laus et honor patri detur,
 Honor et laus genito,
 Laus et honor cumuletur
 Flamini paraclito,
 A quo nobis condonetur
 Vita Iusti merito.</p> |

Brev. Silvanectense imp. Parisiis 1521. — 2, 4 de falacia.

351. In ss. Iusti et Clementis.

1. Laudes ecclesia canit catholica
 Sanctorum annua colens sollemnia,
 Iusti atque Clementis
 Dies refulsit celebris.
2. Hi sunt duo viri misericordiae,
 Quorum iustitiae sunt in memoria
 Nec in oblivionem
 Unquam erunt per saecula.
3. Hi duae olivae florent fructiferae
 In domo Domini ut cedri Libani
 Et duo candelabra
 Ante Deum lucentia.
4. Prostrato aequore navigant prospere
 Doctores fidei praeconesque Dei
 Pellentes Arianæ
 Falsum dogma perfidiae.

5. Turbae catholicae panem dant gratiae
Fugatis hostibus, pulsus serpentibus,
Ad momenti spatium
Caelo reddebant spiritum.

6. Sanctorum precibus in te credentibus,
Iesu Christe, tuis concede famulis
Temporale commodum
Et aeternum subsidium.

7. In hoc sollemnio patri ingenito
Eiusque filio sit et paraclito
Decus et imperium
Et nunc et in perpetuum.

Brev. ad morem Severiani Collegii Erphordiensis imp. Maguntiae 1518.

352. De ss. Iusto et Clemente.

1. Felicis alma gloriae
Festa praefulgent hodie,
Qua confessores incliti
Probantur caelo praediti.

2. Iustus et Clemens nomine,
Sacro repleti flamine,
Nam iusta per vestigia
Micant horum prodigia.

3. Nunc Vulterrana gaudeas,
Cum tales patres habeas,
Gens vota dignis laudibus
Persolve confessoribus.

4. A Vandalorum gentibus
Te protexere panibus,
Quod erat esca civium,
Fit dura pestis hostium.

5. Cum hostes pane feriunt,
Virtute cives muniunt
Et meritis potentibus
Tuentur a serpentibus.

6. Succurrunt energumenis
Favore celsi numinis
Obsessis de corporibus
Exterritis daemonibus.

7. Testantur haec Italiae,
Praesertim plebes Tusciae,
Petentes horum limina
Morbos ponunt et crimina.

8. Nunc confessores unici
Favete plebi supplici,
Quae vos pro suo modulo
Honorat in hoc saeculo.

9. Laudetur Dei gloria,
Maestas et victoria,
Substantialis unitas
Et personalis trinitas.

353. De ss. Iusto et Clemente.

Ad Tertiam.

- | | |
|---|--|
| 1. <i>Veni, creator spiritus,</i>
Mentes tuorum visita,
Ut digne sanctis merita
Colamus data caelitus. | 4. <i>Accendant lumen sensibus,</i>
Populum ab haeresibus
Eripiunt, ab hostibus
Simulque duplis cladibus. |
| 2. <i>Qui paracletus diceris,</i>
Fuisti nexus foederis
Fratrum Iusti et Clementis
Chordis oris, votis mentis. | 5. <i>Hostem antiquum eminus</i>
A loco pellunt protinus,
In quo degentes laudibus
Vacant, micant virtutibus. |
| 3. <i>Tu septiformis munere</i>
Virtutum signis, opere
Hos ditans, Dei digitus,
Fratres, divinus spiritus. | 6. <i>Per te, ignis et caritas,</i>
Mansit vera fraternitas,
In istis semper socia
Caeloque par in gloria. |
| 7. Sit laus patri cum filio,
Qui nobis hoc exsilio
Dare dignetur caelitus
Charisma sancti spiritus. | |

Offic. ms. S. Galgani saec. 16. Cod. Senen. F VI 22.

354. De sancta Katharina.

Ad Tertiam.

- | | |
|---|--|
| 1. Ave, gemma claritatis
ad instar carbunculi,
Ave, rosa paradisi
more flagrans balsami,
Katherina, virgo felix,
gloriosa meritis. | 3. Ave, virgo speciosa
clarior sideribus,
Cuius vultum ac decorem
concupivit Dominus,
Funde preces creatori
pro tuis supplicibus. |
| 2. Ave, virgo Deo grata
in caelesti culmine,
Ab angelis exaltata
in Sinai vertice,
Cuius membra sacro rorant
olei liquamine. | 4. Gloria et honor Deo
usquequo altissimo,
Una patri filioque,
inclito paraclito,
Cui laus est et potestas
per aeterna saecula. |

Antiph. ms. S. Coronae saec. 13. Cod. Pragen. XII C 7 a. add. saec.
14. A. — Hymn. ms. S. Coronae saec. 14. in, Cod. Pragen. I G 17 add.
saec. 14. B. — Mel.: Pange lingua.

355. De sancta Katharina.

- | | |
|---|---|
| 1. Cantet chorus fidelium
Laudes sacratae virgini,
Deo dicatae martyri,
Stirpe regali genitae. | 5. Rege, fove ac protege
Tuos devotos famulos,
Virgo serena, nobilis,
Ab hostium insidiis. |
| 2. Aula resultet iubilans
Superna sanctam continens,
Coetus sacrarum virginum
Candentes sicut lilium.] | 6. Invenit unam nobilem
Margaritam mirabilem,
Cuncta terrena respuit
Hoc solum tenens pretium. |
| 3. Te, o superne conditor,
Corde precamur supplici,
Ut Caterinae meritis
Nos caeli iungas gaudiis. | 7. Nobis assit precantibus
Spiritus sancti gratia,
Nosque ad caelos dirigat
Per Caterinae merita. |
| 4. Exsulta, caelum, laudibus
Cum sanctorum agminibus,
Ad vos conscendit iubilans
Haec virgo illustrissima. | 8. Ascendant voces supplicum
Ad thronum patris gloriae,
Ut mereamur consequi
Aeterna Christi munera. |

9. Gloria tibi, Domine.

Brev. ms. Cisterciense anni 1483. Cod. Vatican. Cappon. 119. — 4, 3
conscendit hodie iubilans. — 7, 3 a caelos.

356. De sancta Katharina.

Ad Vesperas.

1. Dona caelestis patriae si iuncta
Inter mortales cernere delectat,
Oculos leva, fige cor, mortalis,
In Katharinam.
2. Felix, en, virgo regia de stirpe
Regias domos, regem genitorem
Possidet more regio nutrita,
Regi iungenda.
3. Lacte cum pio dogmata piorum
Avide bibit cumque lacte potat
Sophiae Christi dulcia praecepta,
Mens unde vivat.

4. Lumina fulgent facie decora,
Praebet et vultus lilia cum rosis
Et ostro nives animato calent
Pectore sparsae.
5. Pudor, venustas, castitas in toto
Corpore vigent, dumque transit alma,
Flores misisse potuit putari
Tellus eunti.
6. Ipsa caducae docta caelo vitae
Dona contempsit pulchriora malens
Reddere sponso munera, quae nusquam
Termino parcent.
7. Unde cum saeva surgit a tyranno
Rabies contra, potuit invicta
Rotas ac ferrum vincere, sic necem
Tenera temnit.
8. Eia, nunc virgo sociata sponso,
Quem revelata facie tueris,
Ipsi nos tuis precibus commenda
Omnipotenti.
9. Omnipotenti gloriam canamus,
Qui trinus regnat, sempiternus, unus,
Quique fideles recreare solo
Valet obtutu.

Collect. ms. Constant. Caietani saec. 17. Cod. Alexandrin. 96 (I).

357. De sancta Katharina.

Ad Nocturnum.

- | | |
|---|--|
| 1. Nocte silenti, conditor,
Tibi surgentes canimus,
Qui Katharinae virgini
Sermonis confers gratiam. | 3. Illa resistens Caesari
Eius terret ferociam,
Illa vicit philosophos
Illo visa mirabilis. |
| 2. Te canimus, te quaerimus,
Aeterna caeli gloria,
Qui virginis praecordia
Replesti sapientia. | 4. Hinc noctis ignorantiam
Nostris repellat mentibus,
Ut sic victores hostium
Eius reddamur merito. |
| 5. Honor, decus, imperium
Patri, nato, paraclito,
Qui regnis in caelestibus
Mentes beatas reficit. | |

Collect. ms. Constant. Caietani saec. 17. Cod. Alexandrin. 96 (I).

358. De saneta Katharina.

Ad Laudes.

- | | |
|--|---|
| 1. O decus Alexandriae,
Flos, Katharina, virginum,
Cuius cor Christus possidet
Sua praebens charismata. | 3. Hinc caelos, terras intuens
Trinum datorem praedicas,
Unum datorem praemii,
Unum trinumque Dominum. |
| 2. Si mundum vincis inclita,
Si fortes mundi superas,
Quid mirum? tecum permanet
Supernae virtus gratiae. | 4. Nostri memento, quaesumus,
Nostri reatus conscia,
Tuis adiuti precibus
Christi probemur famuli. |

5. Honor, decus, imperium.

Collect. ms. Constant. Caietani saec. 17. Cod. Alexandrin. 96 (I).

359. De s. Katharina Senensi.

Ad Vesperas.

1. Virgo dilecti nova sponsa Christi,
Annuat nostris Katharina votis,
Ut suae laeto resonemus ore
Carmina laudis.
2. Rite psallentes Domino quotannis
Gloriam sacrae canimus sororis,
Quae togam sumpsit viridi sub aevo
Religionis.
3. Respuens vani decus omne mundi
Praedicatorum documenta patris
Sponte suscepit, redimita flore
Virginitatis.
4. Atterens duris sua membra flagris
Flevit humanos miserata lapsos
Aspero ferri strophio pudicos
Cincta per artus.
5. Nulla multorum spatio dierum
Corporis sumens alimenta vixit,
Sacra quam tantum cibus angelorum
Hostia pavit.

6. Sit Deus caeli residens in arce,
Trinus et simplex benedictus ille,
Qui potens totum stabili gubernat
Ordine mundum.

Antiph. ms. S. Katharinae Divoduren. saec. 14. Cod. Vatican. s. n. (ol. 122 bis). add. saec. 15. — 4, 3 tropeo pudicos.

360. De s. Katharina Senensi.

Ad Matutinum.

1. Virgo prudentum comitata coetum
Obviam sponso veniens parata
Noctis horrendas repulit tenebras
Lampade pura.
2. Illi fulgentem nitidis lapillis
Annulum miri tribuit decoris
Virgini dicens: tibi trado sancti
Pignus amoris.
3. Inde sub multis meruit figuris
Saepius vultum Domini videre,
Iam sibi vitae dare pollicentis
Gaudia vera.
4. Mota fragrantis stimulo caloris
Mentis excessu rapitur frequenti,
Fixa dum sacris tenet ille membris
Vulnera Christi.
5. Nam piaie mortis memor et cruoris
Pertulit dirae monimenta poenae,
Quae sibi pulchrae fuit et perennis
Causa coronae.
6. Sit Deus caeli residens in arce,
Trinus et simplex benedictus ille,
Qui potens totum stabili gubernat
Ordine mundum.

Antiph. ms. S. Katharinae Divoduren. saec. 14. Cod. Vatican. s. n. (ol. 22 bis).

361. De s. Katharina Senensi.

Ad Laudes.

1. Sponsa caelestis generosa regis
Scandit aeternos thalamos quietis,
Quam poli divae celebrant camoenae
Landibus amplis.
2. Aucta virtutum meritis suarum
Fulget immensis Katharina signis,
Dum graves morbos fugat orta mundo
Stella salubris.
3. Saepe civiles cohibens furores
Servat a magnis populos periclis,
Recta componens Italas per urbes
Foedera pacis.
4. Virgo divini studiosa verbi,
Spiritu martyr Domino dicata,
Clara portentis genus omne laudis
Attigit ista.
5. Unde ter felix quater et beata
In sinu sponsi requievit almi,
Inter illustres animas relata
Lux nova caeli.
6. Sit Deus caeli residens in arce,
Trinus et simplex benedictus ille,
Qui potens totum stabili gubernat
Ordine mundum.

Antiph. ms. S. Katharinae Divoduren. saec. 14. Cod. Vatican. s. n. (ol. 122 bis). add. saec. 15. — 3, 3 Itala. — Mel. dieses und der beiden vorhergehenden Hymnen: Ut queant laxis.

362. De s. Katharina Suecica.

- | | |
|---|---|
| 1. Gaude, decus Osgotiae,
Sanctae Birgittae filia,
Patrona esto Sueciae
Caeli tenens fastigia. | 3. Sanctum suum propositum
Perornat cum virtutibus,
Ut gratum reddat spiritum,
Conformat se caelestibus. |
| 2. Haec in aetate tenera
Gustabat Dei munera,
Amplexans pia opera
Fide transscendit sidera. | 4. Haec honestatis speculum,
Paravit domicilium
Christo, contemnens saeculum
Carnaleque contagium. |

- | | |
|---|---|
| <p>5. Dono fuit scientiae
 Dotata conversatio,
 Domumque conscientiae
 Pura servat confessio.</p> | <p>6. Patri, nato, paraclito
 Sint honor, virtus, gloria
 Et Katherinae merito
 Nobis aeterna gaudia.</p> |
|---|---|

Brev. ms. Gnadenbergense saec. 15. Cod. Holmien. s. n.

363. De sancta Kineburga.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Kyneburgam laude plenam
 Veneremur hodie,
 Collaudemus, praedicemus
 In hac donum gratiae,
 Qua virescunt, reviviscunt
 Defuncti a funere.</p> | <p>3. Firma fides impetrabit
 Morbi convalentiam,
 Intus, foris dum servabit
 Homo conscientiam,
 Puram hic adnihilabit
 Hostis fraudulentiam.</p> |
| <p>2. Ergo crede, in hac aede
 Si devotus fueris,
 Sanus eris, consequeris,
 Quod iuste petieris,
 Ora sane sero, mane
 Peste pro, qua premeris.</p> | <p>4. Fides vera effugabit
 Omnes fraudes daemonum,
 Fractas vires solidabit
 Et virtutes hominum,
 Languentes quosque firmabit
 Fideique meritum.</p> |

Collect. ms. Llantonienae saec. 13. Cod. Coll. Corp. Christi Oxonien.
 59. — 1, 5 vilesunt. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

364. De sancta Kineburga.

Ad Processionem.

- Salve, festa dies, toto venerabilis aevo,
 Qua Kyneburga pia migrat ab hac patria.
 Moribus interius similis fuit illa supernis,
 In terris vitam duxerat angelicam.
5. Iungitur optatis concivibus ipsa beatis
 Gaudia perpetua plaudit adesse sua.
 Regnum terrenum genitura parabat amoenum,
 Sprevit ut obscoenum coniugium iuvenum.
 Dilexit Christum, mundum despexerat istum,
10. Carnis delicias, eius amicitias.
 Virgineos mores observavit meliores
 Felle carens, humilis prona, tacens stabilis.
 Casta manens, pura, nec erat carnis sibi cura,
 Ut Christo placuit, vivere sic studuit.

15. Sanguine praeclara, generosa, Deo quoque cara,
Saxonicae prolis, magnificae subolis.
Pro zelo Christi procul advena, virgo, fuisti,
Celans progeniem germinis et seriem.
Te servam faciens humilem regalia vitas,
20. Tutior ut fugiens sit tua virginitas.
Servula pistoris famularis in omnibus horis
Arte, sed uxoris est tua vita foris.
In fontem iacitur corpus sed sic reperitur,
De fundo loquitur corpus et extrahitur.
25. Concurrunt turbae populi de qualibet urbe,
Quod quisquis patitur, solvitur, eripitur.
Virgine pro pura fiunt miracula plura,
In prece quod petitur, hoc pia prosequitur.
Subsistunt sani iuvenes, pueri, veterani.
Haec sunt dona Dei; laus referatur ei.

Offic. ms. S. Kineburgae saec. 15. Cod. Londinen. Lansd. 387. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

365. In Translatione s. Kineburgae.

Ad Processionem.

- Salve, festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua Kineburga suo tollitur ex tumulo.
Consilio sanus praesul metropolitanus
Transferri docuit, sicut eam decuit.
5. Digne translata sursum sunt ossa locata,
Ne premat illa solum, dum tenet ipsa polum.
Assistunt procures, dominus, dux, miles et heres,
Praelati veteres adveniunt celeres.
Burgenses multi magno sunt agmine fulti,
 10. Et doctor cleri praedicat hoc fieri.
Claustralis, surge, cane tu laudes Kineburgae,
Fratres cum paribus stent tribus ordinibus.
Concinat in turbis processio plebis et urbis
Cantica virginea, virgo praeoptat ea.
 15. Aegri sanantur, miracula iam renovantur,
Omnia laetitiae signa sonent hodie.
Infirmi quique muti, claudi reliquique
Sani prosiliunt, vota Deo faciunt.
Virgo, tuae laudi sistentes, quaesumus, audi,
 20. Sit pax omnino, gloria, laus Domino.

Offic. ms. S. Kineburgae saec. 15. Cod. Londinen. Lansd. 387. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

366. De sancto Laurentio.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Extingue, martyr, grandia
Discriminum incendia,
Ut puros nos siderea
Receptent sursum gaudia.</p> | <p>2. Ergo te, martyr, supplices
Precamur, ut nos visites
Nosque Iesu concilies,
Ut simus ipsi compotes.</p> |
| <p>3. Cui proli sanctissimo
Cum patre laus ingenito
Sit ab utroque parili
Honorque fuso flamini.</p> | |

Brev. ms. Senonense saec. 14. Cod. Vatic. Reg. 153. A. — Brev. Senonense imp. s. l. et a. B. — 3, 2 Cum prole laus B.

367. De sancto Laurentio.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Pange, lingua, gloriosi
proelium Laurentii,
Hac die qui mundum vicit
sub Decio Caesare
Et destruxit morte mortem
missus in craticula.</p> | <p>5. Quem beatus vir Iustinus
sanctus et Hippolytus
Acceperunt et in agro
Verano sepeliunt,
Romae via Tiburtina,
Cyriacae praedio.</p> |
| <p>2. Qui dum esset in tormentis
positus craticulae,
Exclamabat magna voce
non motus supplicio:
Non ardorem mihi prunae
dant, sed refrigerium.</p> | <p>6. Qui nunc iacet ecclesia
dicta suo nomine
Extra muros civitatis
in cista marmorea
Et, ut dicunt Romae, cessit
sancto protomartyri.</p> |
| <p>3. Tunc spectabant admirantes
impii Laurentium,
Cuius carnes devastabant
invocantis Dominum
Ignis vorax, carbo vivus
imperio Caesaris.</p> | <p>7. Ergo, martyr gloriose,
deprecare Dominum
Pro nobis peccatoribus,
ut nos tuis precibus
Ascendere mereamur
ad caeli palatium.</p> |
| <p>4. Quem cum vidit, dixit [illi]
beatus Laurentius:
Pars haec satis est assata,
subverti fac aliam
Et manduca partem illam;
tunc emisit spiritum.</p> | <p>8. Quod praestare nobis pater
dignetur et filius
Et procedens ab utroque
paraclitus spiritus,
Quibus laus et potestas
per aeterna saecula.</p> |

Diurn. ms. Senonense saec. 14. Cod. Vatican. Reg. 182.

368. De sancto Leone.

Ad Vesperas.

- | | |
|--|--|
| 1. Leo, papa Romanorum,
Gemma episcoporum,
Gentium pastor cunctarum,
Speculum sacerdotum,
Sis intercessor pro nobis
Ad Deum miserrimis. | 4. Inclite papa, populo
Preces funde pro cuncto,
Ut tua petitione
Nos aeternus pontifex
Expiatos a peccatis
Iungat coetibus almis. |
| 2. Ave, papa mitissime,
Ave, splendidissime,
Ave, Domini athleta,
Confessorum agmina
Qui inter sanctorum sacra
Fulgens ut sol et luna. | 5. Cunctarum urbium, Roma,
Ut sol lucidissima,
Quae doctrina es ornata
Tanti principis sacra
Et fecunditate talis
Es repleta corporis. |
| 3. O cunctorum flos praesulum,
Mitis pastor ovium,
Peccatorum consolator.
Plebium praedicator,
Verae fidei omnibus
Ora pro cultoribus. | 6. Exsultate, astra poli,
Laetare, domna caeli,
Archangelorumque chori,
Cum sanctis laetamini
De tanta iucunditate
Animae sanctissimae. |

7. Gloriam patri vocibus
Melodis personemus,
Gloriam Christo canamus,
Gloriam paraclito,
Qui trinus et unus Deus
Exstat ante saecula.

Brev. ms. Romarici Montis saec. 16. Cod. Spinalien. 164 (77). A. — Hymnar. ms. Romarici Montis saec. 15. Cod. Spinalien. 194 (86). B. — 5, 2 sol felicissima A. — 5, 4 Principis tanti B. — 6, 3 que fehlt B. — 7, 1 Gloria B. — 7, 4 paraclito A.

369. De sancto Leucio.

Ad Vesperas.

- | | |
|---|---|
| 1. Optata dies advenit
Exsultans in deliciis,
Qua patriarcha Leucius
Laetus migrat ad Dominum. | 3. Praecepta Christi praedicans
Et sanctitate radians
Medelam confert languidis,
Functos ad vitam revocat. |
| 2. Hic clarus vitae meritis
Refulgens et miraculis,
Pulsis procul erroribus
Plebem lavat baptismate. | 4. Gaude, Brundusia polis,
Tantis ornata titulis,
Sed clarior eximium
Patronum habens Leucium. |

5. Gloria tibi, Domine.

Officia ss. Patronorum ecclesiae Brundusinae imp. Romae 1583. 2.

370. De sancto Leucio.

Ad Laudes.

- | | |
|--|---|
| <p>1. In matutinis laudibus
Deum precemur sedulo,
Ut nos ad caeli gloriam
Per sancti ducat merita.</p> | <p>3. Ob hoc celebrat annua
Devota plebs sollemnia;
Tu, Christe, nobis annue
Huius sequi vestigia.</p> |
| <p>2. In Brundusina claruit
Urbe confessor Domini,
In hac relinquens terrea
Migravit ad caelestia.</p> | <p>4. Precemur ergo supplices
Patrem perennis gloriae,
Ut huius sancti merita
Nobis impetrent veniam.</p> |

5. Gloria tibi, Domine.

Officia ss. Patronorum ecclesiae Brundusinae imp. Romae 1583.

371. De sancta Lucia.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Lux, ecce, lustrat aurea,
Lucet Luciae laurea,
Laudantes laeto carmine
Laetemur loti crimine.</p> | <p>4. Sicut fide non frangitur,
Sic tracta fune figitur,
Quanto funis sit fortior,
Fit fide fulta fixior.</p> |
| <p>2. Mundanis munda micuit,
Mundare matrem meruit
Mercans non mundis mercibus
Mundans malis et motibus.</p> | <p>5. Poenas parans plus patitur,
Dum pia perit, per[fo]ditur,
Puella passa gladio
Psallit perenni gaudio.</p> |
| <p>3. Commutans cum caelestibus,
Quod congruit coniugibus,
Contempsit carens carie
Causas civilis curiae.</p> | <p>6. Patri, proli, paraclito,
Cuius divino digito
Vicit virgo, sit gloria,
Nobis secum sint gaudia.</p> |

Offic. ms. S. Luciae saec. 14/16. Cod. Avenionen. 117. — Abschrift von Mr. Labande.

372. De sancta Lucia.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Dies datur, quae lustratur,
Luciae martyrio
Quo laetatur, nam locatur
Caelesti collegio,
Qua dotatur, decoratur
Syracusa mansio.</p> | <p>2. In hac orta nec non torta
Fuit virgo nobilis
Matrem curans et coniurans
Ne tradatur nubilis,
Sponsum nolens, Christum colens
Sua donat dapsilis.</p> |
|--|--|

- | | |
|---|---|
| <p>3. His distractis sponsi pactis
 Trahitur ad curiam,
 Ad quam ducta nec seducta
 Damnat idolatriam
 Laudans Christum et per ipsum
 Solam sequens latratriam.</p> | <p>5. Sic subridens et deridens
 Furentem Paschasium,
 Inconcuessa stans, percussa
 Per infixum gladium,
 Consolatur, quos hortatur
 Ad perenne praemium.</p> |
| <p>4. Tracta multis, ut adultis
 Detur ludis turpibus,
 Non veretur nec movetur
 Iunctis bobus pluribus,
 Tunc fit ignis, sed haec signis
 Tutatur caelestibus.</p> | <p>6. Honor iste tibi, Christe,
 Cum patre, cum flamine,
 Quo puella sic tenella
 Vicit hoc certamine,
 Qua laetemur, ut locemur
 Nos in eius agmine.</p> |

Offic. ms. S. Luciae saec. 14/15. Cod. Avenionen. 117. — Abschrift von Mr. Labande.

373. De sancto Machuto.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Benedicite Dominum,
 Gubernatorem omnium,
 Qui novum dedit famulum,
 Machutum, ducem Britonum.</p> | <p>7. Ibi quaerebat insulam,
 Quam semper vocamus Inman,
 Non reperiensque illam
 Revertens venit patriam.</p> |
| <p>2. Sanctus Machu egregius
 In die Paschae est natus
 Cum eo triginta tribus
 Simulque natis penitus.</p> | <p>8. Didascalum hic audivit,
 Evangelio qui dixit:
 Vitam aeternam habebit,
 Patriam qui reliquerit.</p> |
| <p>3. Fueruntque eruditi
 Delitici quoque domini,
 In una die periti,
 In elementis edocti.</p> | <p>9. Sanctus Machu hoc audiens,
 Patriam suam relinquens,
 Ad Colinum perveniens,
 Paratam navem intuens.</p> |
| <p>4. Sanctus Machlous inprimo
 Habuit virtutem de Christo,
 Frigorem nunquam habuit,
 Pallium a se eiecit.</p> | <p>10. Quae habebat instrumenta,
 Velum extensum in ea,
 Hominibus at vacua,
 Christus sedebat in ea.</p> |
| <p>5. Hic quadam die perrexit,
 Ad litus maris pervenit
 Et illic ludens dormuit,
 Cum quo insula ascendit.</p> | <p>11. Ancoramque qui tenebat,
 Illos quoque invitabat
 Navigare per maria
 Transmarinorum patria.</p> |
| <p>6. Hic belvam immanissimam
 Palpavit ut agniculam,
 In die Paschae super quam
 Sollenni cantavit missam.</p> | <p>12. In illam cito intravit
 Et ventus validus venit,
 Velum quoque adimplevit,
 Et navis mare sulcavit.</p> |

13. O ecclesiae lux magna
Et sacerdotum gloria,
Dum gregi praestas pabula,
Cordi pandis mysteria.
14. Hic venit ad civitatem
Aletis intrans gaudentem,
In qua multis virtutibus
Ostendit se hominibus.
15. Curavit quoque leprosos,
Curvos erexit sanatos,
Resuscitavit mortuos,
Qui inde vixerunt sanos.
16. Rex caelorum altissimus,
Solus excelsus Dominus,
Non clauditur temporibus
Permanens semper aeternus.
17. Qui et vocavit optimum
Machutum suum famulum,
Sanctum atque mirificum,
Doctorem quoque perfectum.
18. Verus hic evangelicus
Athleta Dei optimus
Contempta mundi gloria
Centena sumpsit praemia.
19. Audite omnes fulgida
Sancti Machutis opera
Episcopi praecipua,
Magna et principalia.
20. Coram Deo dignissima,
Hominibus placentia,
Diffamata per tempora
Huius mundi novissima.
21. Quem copulasti, Domine,
Angelorum in ordine,
Benedictus a Domino,
Deo deorum superno.
22. Chaleuxomen Dominum
Omnipotentem, supernum,
Ut mereamur fulgidum
Intrare habitaculum.
23. Ibi permanet gaudium
In lumine viventium,
Sanctus, sanctus dicentium,
Sanctus Deus virtutum.
24. Hymnum Machutis beati,
Viri in cunctis optimi,
Decantate, presbyteri
Eius et plures magistri.
25. Magni quoque et pusilli
In memoria animi
Uti virtute meriti
Patris vestris salvemini.
26. Rogamus Christum Dominum,
Regem, rectorem omnium.
Nobis ut praestet solidum
In hoc mundo auxilium,
27. Nostri patris per meritum
Machutis validissimum,
Ut mereamur gaudium
Possidere angelicum.
28. Haec est feria sollemnis,
In qua sacerdos nobilis,
Sanctus Machlou egregius
Caelos conscendit arduos.
29. Et nos armore debite
Debemus laudes dicere
Machuti nostro auctori,
In sceptro poli manenti.
30. Cuius beatis precibus
Mundemur a sceleribus,
Ut consequamur praemia
Eius colentes merita.

- | | |
|---|---|
| <p>31. Praeferimus te laudibus
Et postulamus precibus,
Ut piis nos suffragiis
Liberes a piaculis.</p> | <p>32. Gloria praeclarissimo
Christoque regi optimo
Et patri perfectissimo,
Spiritus quoque sancto.</p> |
|---|---|
33. Gloria perenni Deo
Unctoque Jesu Domino,
Almo quoque paraclito
In saecula saeculorum.

Passion. ms. incertae orig. saec. [12. et] 10. Cod. Londinen. Reg. 13 A X. — 5, 1 prorexit. — 23, 1 Chaleuxomen, offenbar mißverständene griechische Form von *εὐχαῖαι* und *zalew* (oder *zalos*?). — Der Hymnus ist vielleicht ein Konglomerat aus zwei oder mehreren Hymnen. Mit Str. 19, vielleicht auch mit Str. 24 scheint ein neues Lied zu beginnen. Auffallen muß auch die doppelte Doxologie am Schlusse. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

374. De sancto Magnobodo.

In 1. Vesperis.

1. Voce te sanctum Dominum benigna
Plebs creatorem fragilis precatur,
Ne suos unquam scelerum rubigo
Denigret actus,
2. Ut tibi laudes meritas rependat
Hac die, qua te tribuente noster
Gloria praesul meruit locari
Perpete caeli.
3. Iste dum vita vixit caduca,
Pauperes pavit, miseros refovit
Et reos vinclis macieque tritos
Carcere solvit.
4. Debiles firmum tenuere gressum,
Palpebrae lumen repetunt ablatum,
Et novus surdas sonitus per aures
Verba ministrat.
5. Ignibus lentis febrium gravatos
Liberat membris, paralysis exit,
Morbido fluxu tenuata ventris
Viscera sanat.
6. Sancte confessor pretiose, qui tot
Corpori curas adhibere laeso
Nosceris, tabes precibus sacratis
Ablue mentis.

7. Ut frui tecum mereamur omnes
Gloria cunctis posita beatis,
Qua Deus iusti praemium laboris
Reddit amoenum.
8. Sit tibi, celsi moderator orbis,
Laus, honor, virtus simul et potestas,
Qui supra caeli resides cacumen
Trinus et unus.

Brev. Andegavense imp. Parisiis 1551.

375. De sancto Magnobodo.

Ad Matutinum.

- | | |
|--|---|
| 1. Nunc noster hymnum concinat
Chorus sonoro carmine,
Dum praesulis Magnobodi
Festum celebrat annum. | 5. Nummus datus pauperibus
Pluri subauctus numero
Crescit refectis singulis
Mirantibus clientulis. |
| 2. Miranda plane caelitus
Donantur isti munera,
Quae iam superna gratia
In carne monstrant praeditum. | 6. Hunc deprecemur supplices,
Ut nos pio munimine
Servet ab imminentibus
Hostis dolosi fraudibus. |
| 3. Orante sancto callidus
Propellitur de corpore
Hostis, daturque mentibus
Et sensibus tranquillitas | 7. Ne sorbeat nos aspera
Mundi procella, protegat
Nostram ratem, ne pirata
Secum trahat per devia. |
| 4. Adversa linquit littora
Navis ducente nemine
Undasque sulcans fluminis
Agmen capit cum praesule. | 8. Summo Deo sit gloria,
Qui nos mereri gaudia
Det in supernis sedibus
In sempiterna saecula. |

Brev. Andegavense imp. Parisiis 1551.

376. De sancto Magnobodo.

Ad Laudes.

- | | |
|---|---|
| 1. Castis referre mentibus
Laudes decet Magnobodi,
Quem plurimis virtutibus
Deus decorum reddidit. | 2. Sacro docente spiritu
Cavet veneni pocula
Et morte foeda profugus
Tabescit auctor criminis. |
|---|---|

- | | |
|--|--|
| <p>3. Lumen legenti fulgidum
Ab aemulis extinguitur,
Sed spiritali lumine,
Quod ceperat, concluditur.</p> | <p>5. O beate Magnobode,
Te supplicantes protege,
Ut vana mundi respuant
Et recta semper appetant.</p> |
| <p>4. Exsanguie corpus parvuli,
Tritum iacens in platea,
Precante sancto praesule
Vivus reformat spiritus.</p> | <p>6. Ut cum dies advenerit
Cunctis statuta populis,
Carnem resumat spiritus
Omni solutus crimine.</p> |
7. Summo Deo sit gloria,
Qui nos mereri gaudia
Det in supernis sedibus,
In sempiterna saecula.

Brev. Andegavense imp. Parisiis 1551.

377. De s. Marcellino Ebredunensi.

In l. Vesperis.

1. Natus in summis Marcellinus oris
Africae quondam pervenit ad Alpes,
Ubi sublimis urbs nunc Ebredunum
Condita iacet.
2. Huic cum Dominico Vincentius iunctus
Fugarunt illinc daemonum culturam,
Orbe qui toto tenebant captivas
Hominum mentes.
3. Hi templum urbi primum condiderunt,
Quod Vercellensis Eusebius praesul
Et Valentinus pastor Aemilianus
Consecraverunt.
4. Per hos antistes primus Ebreduni
Datus est, quamvis renitens omnino,
Sed pius nostro consulens errori
Praesulem gessit.
5. Hinc Deum summum rogitemus omnes,
Ut Marcellini precibus adiutos
Praestet nos tandem gaudia superni
Visere caeli.

6. Laus Deo patri genitoque, simul
Spiritu sancto sit honor perennis,
Qui poli summa residet in aula
Trinus et unus.

Brev. Ebredunense imp. Lugduni 1520.

378. De s. Marcellino Ebredunensi.

Ad Matutinum.

1. Noctis aeternae tenebris eductos
Nos Marcellinus, praesul Ebreduni,
Traxit, dum nostros patres ab errore
Solvit antiquo.
2. Qui dum gentilis conviva ferocis
Foret cuiusdam, ad fidem convertit
Hunc, dum contriti calicis fissuras
Videt uniri.
3. Huius obtentu corporis obsessi
Membra relinquit daemonum pressura,
Quod Marcellino capitis laesuram
Ferox tulisset.
4. Rivus omisso nativo decursu
Cedit tumescens populo credenti,
Pastor dum crucis sublime vexillum
Promeret dextra.
5. Tota mox uno clauditur ovili
Ebredunensis plebs dicata Christo
Preceque iugi se pastoris almi
Gaudet tueri.
6. Demus nunc omnes Domino precatus,
Ut maris huius fluctibus eieci
Possimus tandem contingere laeti
Portum salutis.
7. Laus Deo patri genitoque, simul
Spiritu sancto sit honor perennis,
Qui poli summa residet in aula
Trinus et unus.

Brev. Ebredunense imp. Lugduni 1520.

379. De s. Marcellino Ebredunensi.

In Laudibus.

1. Laudibus diem veneremur illum,
Quo Marcellinus nexibus solutis
Corporis inter meruit concives
Vivere caeli.
2. Morbis oppressos variis oblitos
Vidimus nunquam, sacrum qui ad eius
Prona concurrunt Dominum precando
Tumulum mente.
3. Urbem obsessam hostes derelinquunt
Cruce vibrata caelo perterriti,
Quod preces fusae templo Marcellini
Obtinuerunt.
4. Oleum manans huius tumba viri
Mortuos fere et aridas manus,
Urbem infectam constat sanitati
Restituisse.
5. Criminum forte plebis Ebreduni
Feruntur causa incognita multis
Tempore longo praesulis divini
Ossa fuisse.
6. Sed tandem nostris inventa diebus
Summa cum laude veneremur illa,
Ut Deus nostros miseratus omnes
Pellat reatus.
7. Laus Deo patri genitoque, simul
Spiritus sancto sit honor perennis,
Qui poli summa residet in aula
Trinus et unus.

Brev. Ebredunense imp. Lugduni 1520.

380. De sancto Marciano.

Ad Vesperum.

- | | |
|--|--|
| 1. Audi, praesul Marciane,
Martyr invictissime,
Quas in tua promunt laude
Voces tui vernulae. | 2. Truces minas despexisti
Tamquam vana nubila,
Praeparatus ad tormenta
Quaelibet crudelia. |
|--|--|

- | | |
|---|--|
| <p>3. Dant candentes massas ferri
Per spatia laterum
Ac perusta caro flagrans
Odor ut aromatum.</p> | <p>5. Tunc iratus praeses furens
Iussit satellitibus
Huius caput obtruncari
Non in urbis moenibus.</p> |
| <p>4. Stant ministri vulnerati
Massis ex urentibus
Neque laedunt Marcianum,
Urere quem cupiunt.</p> | <p>6. Sic, beate Marciane,
Martyr atque pontifex,
Vitam donans temporalem,
Ad perennem transiens.</p> |
7. Summo patri demus laudes
Pariter et filio,
Ab utroque procedenti
Spiritu paraclito.

Hymn. ms. Bobiense saec. 11. Cod. Vatic. 5776. — Cfr. Mai Nova bibl. Patr. I II, 203.

381. De sancto Marciano.

Ad Laudes.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Aurora clara rutilat,
Annua festa reparat,
Cum Marcianus pontifex
Aulam polorum possidet.</p> | <p>3. Precamur ergo subditi
Lucis suggeras lumini,
Ut sublevemur nitidi,
Quo meruisti transvehi.</p> |
| <p>2. In hac die devotius
Felix festum recolimus,
In qua caelorum civibus
Est perpes factus socius.</p> | <p>4. Laudes patri altissimo
Sitque parili filio
Ac utriusque flmini,
Ambobus semper simili.</p> |

Hymnar. ms. Bobiense saec. 11. Cod. Vatic. 5776. — 3, 4 Quod meruisti faver. — 4, 1 altissimi. — Cfr. Mai, Nova bibl. Pater I II, 204.

382. De sancta Margareta.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Theodosii filia
Sprevit contemptibilia
Et passa transitoria
Est pro perenni gloria.</p> | <p>3. Olybrius vult recipi,
Haec negat cavens decipi,
Ad Christum cursu celeri
Currrens repugnat sceleri.</p> |
| <p>2. Haec Margareta nomine,
Divino gaudens omine,
Deserviens munditiae
Amatrix pudicitiae.</p> | <p>4. Ad finem ab initio
Est constans in supplicio,
Migravit ab exsilio
Coniuncta Dei filio.</p> |


- | | |
|---|---|
| <p>5. In passionis transitu
 Plebs adest multa gemitu,
 Tyrannus adest fremitu,
 Adest Christus in exitu.</p> | <p>6. Uni trinoque gloria,
 Qui vita, spes, victoria,
 Cui laus sit hac diecula,
 Honor per cuncta saecula.</p> |
|---|---|

Diurn. et hymn. ms. Benedictin. Suecic. saec. 15. Cod. Upsalen. C 477. — 2, 1 Hic. — Cfr. Klemming III, 116, woselbst das Lied irrig als Sequenz, die Quelle fälschlich als Missale bezeichnet wird.

383. De sancta Margareta.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Exsultet vox ecclesiae
 Sion congaudens filiae
 Agnique tympanistriae,
 Margaritae, quam hodie
 Desponsavit rex gloriae.</p> <p>2. O casta generatio,
 Tali gaude consortio,
 En, quam felix est portio
 Ubi perpes fruitio
 Erit sine divortio.</p> <p>3. Margareta, sponsa Dei,
 Flos decoris virginei,
 Non te artus sanguinei
 Nec tormenta eculei
 Privarunt via fidei.</p> <p>4. Olybrius te virginem
 Ob formae pulchritudinem
 Sperans habere coniugem,
 Sed spretus fudit sanguinem
 Retrudens te in carcerem.</p> <p>5. Draco te tunc absorbuit,
 Sed cor fide nil tepuit,
 Mox cruce facta crepuït
 Et sic rufo occubuit,
 Sponsam sponsus eripuit.</p> <p>6. Daemon post haec conqueritur,
 Dum caput eius teritur;
 A te quod minus laeditur,
 Orat miser, dum caeditur,
 Sic a te victus creditur.</p> | <p>7. Eia, felix victoria
 Et digne meritoria,
 Qua peccatorum scoria
 Divincitur et gloria
 Calcatur transitoria.</p> <p>8. Tyrannus coepit furere
 Fidem nitens obruere,
 Face te iussit urere,
 Cruor non cessat fluere
 Fidem nisis astruere.</p> <p>9. Demum cruentus properat
 Tortor, ut mortem inferat,
 Aquam poenalem praeparat,
 Sed, dum nec sic te superat,
 Te decollari imperat.</p> <p>10. Virorum quinque milia
 Haec cernunt mirabilia,
 Mox abnegant sculptilia,
 Et sic Christi familia
 Fert tormenta similia.</p> <p>11. Virtutum vas eximium,
 Nunc cum catervis virginum
 Roga pro nobis Dominum,
 Ut post hunc carnis terminum
 Veniam donet criminum.</p> <p>12. Sit laus patri cum filio,
 Sancto simul paraclito,
 Qui te de hoc exsilio
 Ceu rosam fultam lilio
 Caelesti vexit solio.</p> |
|--|---|

Antiph. ms. S. Coronae saec. 13. Cod. Pragen. XII C 7a. add. saec. 14 A. — Hymn. ms. Sanctae Coronae saec. 14. Cod. Pragen. I G 17. add. saec. 15. B. — 1, 5 Sibi desponsat rex AB. — 3, 3 te armis sanguinei A. — 4, 5 der Reim ist unrein. — 6. 5 Et sic a te victus AB. — 8, 3 Faci, radiert B; ursprünglich wohl Facie statt Face. — 10, 5 Suffert tormenta similia AB. — 10, 2 der Reim an dieser Stelle unrein. — 10, 4 Seu rosam B. — Vor Str. 7 Divisio.



384. De sancta Margareta.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Gaudio summo virgines
Vestras ornate lampades,
Ut Margaritae speculo
Regnum intretis caelicum.</p> <p>2. In quo refulget merito
Ipsa virgo clarissima,
Quae mundi pompas renuens
Sacrauit se martyrio.</p> <p>3. Rapacitas Olybrii,
Antiocheni praesidis,
Huius amore saeviens
Furit in eam acriter.</p> <p>4. Ast adamanti similis
Preces et minas irridens
Suspenditur in aere,
Dilaniatur graviter.</p> | <p>5. Reclusam post in carcere
Draco crudelis devorat,
Quem signum Christi dirimit,
Quod ipsa martyr perfecit.</p> <p>6. Dehinc martyr sanctissima
Hostem prostratum detinens,
Cur tot et tanta scelera
Commiserit, interrogat.</p> <p>7. Ut belfis responsum dedit,
Ipsam abysso tradidit,
Ustione post caeditur
Acre suspensa corpore.</p> <p>8. Saevi tyranni mandato
Iugulatur prudens virgo,
Caelorum regi supplicans
Pro ipsam venerantibus.</p> |
|--|--|

9. Gloria tibi, Domine.

Brev. ms. Ambrosianum saec. 15. Cod. Borgian. M II 20. — 2, 3 pumpas. — 3, 3 sceviens. — 6, 2 Hostes prostratos. — 7, 1 belfis für belva oder belbus? — Das Akrostichon nennt als Verfasser Girardus.

385. De sancta Margareta.

In 1. Vesperis.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Dies sollemnis agitur,
In quo dives ingreditur
Margareta palatia
Caelica cum laetitia.</p> <p>2. Regem colit caelestium,
Cultum damnat gentilium,
Ducem spernit Olimbrium
Et vanum mundi gaudium.</p> | <p>3. Princeps dolet, irascitur,
Crine nuda suspenditur,
Virgo virgis conciditur,
Ungulis caro carpitur.</p> <p>4. Demum carceri traditur,
Ore draconis clauditur,
Per crucem draco scinditur,
Sana martyr egreditur.</p> <p>5. Deo patri sit gloria,
Qui moderatur omnia,
Eiusque soli genito
Cum spiritu paraclito.</p> |
|---|---|

Brev. Lemovicense imp. Lemovicis 1495. — Vgl. den Hymnus gleichen Anfangs auf den hl. Blasius Anal. XXIII, 88.

386. De sancta Margareta.

Ad Laudes.

- | | |
|--|---|
| 1. Margaretae collaudemus
Virginus praeconium,
Gloriosum recitemus
Martyris martyrium
Ut ad eius penetremus
Praeclarum consortium. | 3. Poenas subit carcerales
Et tormentum varium,
Feras vincit noxiales
Per Christi subsidium,
Post dolores temporales
Caeli scandit atrium. |
| 2. Regem colit supernorum
Virgo, Dei filium,
Aeternorum gaudiorum
Conferentem praemium,
Cultum spernit idolorum,
Contemnit Olimbrium. | 4. Sit laus summo genitori,
Regi regum omnium,
Una Christo redemptori,
Salvatori gentium,
Flamini consolatori
Par decus, imperium. |

Brev. Lemovicense imp. Lemovicis 1495. — 4, 2 regnum omnium.

387. De sancta Margareta.

Ad Vesperas.

- | | |
|--|--|
| 1. Grates reddamus Domino,
Fratres, corde et animo
Qui sponsis sui filii
Decus dat sui praemii. | 6. Ignibus quibus traditur,
Sospes ex his eripitur,
Feroces ferae mansuescunt
Dira collaque submittunt. |
| 2. Assunt namque sollemnia
Quo beata Margareta
Cruoris unda effusa
Poli conscendit ardua. | 7. Constans persistens in fide
Tormenta devicit quaeque
Et voce persecutorem
Libera confundit vilem. |
| 3. Quae clara exstitit stirpe,
Magis sed virginitate,
Decens et pulchra facie,
Sancta sed pulchrior fide. | 8. Demum gladio confossa
Carnea relinquens claustra
Iungitur choro caelesti
Suoque sponso perenni. |
| 4. Quam sponsus et rex caelestis
Primo flore inventutis,
In quo maneret, iucundum
Sibi consecravat templum. | 9. Huius obtentu, Domine,
Facinora nostra terge,
Possimus ut evadere
Poenas aeternas gehennae. |
| 5. Haec virgo pro sacra fide
Sub Olybrio praeside
Iesu confidens diversis
Extorquetur suppliciis. | 10. Et adipisci praemium
Caelestis regni fulgidum,
Quo tua martyr et sponsa
Gaudet cum te Margareta. |

11. Praesta, trinitas beata,
Cuncta quae regis creata,
Et cui exstitit grata
Sancta virgo Margareta.

Hymn. ms. S. Petri Mart. Utinen. saec. 16. Cod. Civit. Utinen. s. n. —
1, 3 sponsus. — 4, 3 manet. — 5, 2 Sub fehlt. — 8, 3 Iugiter choro. —
10, 1 Ut adipisci.

388. De s. Maria Aegyptiaca.

1. Canimus laudum pia vota, Christe,
Eius quae vitam meruit pudicam,
Ante culparum fecibus pollutam
Reddere tibi.
2. Aegyptus quondam vera monstra tulit,
Gentium diis maculata multis,
Protulit tandem eremi cultricem
Nobis Mariam.
3. Pressit aliorum duriter et artus
Aestus et famis beatam rigore,
Multos per annos habitans in silvis
Casta fidelis.
4. Abluit sordes maculas peccati
Lacrymis cordis penitus abstergens,
Usquequo Dei semitas decurrens
Scandit ad astra.
5. Sit trinitati decus, honor, virtus,
Cuius elementi bonitate reis
Gratiam praestat veniamque donans
Efficit iustos.

Officia ms. Toletana saec. 17. Cod. Vatic. Ottob. 702.

389. De sancta Maria Aegyptiaca.

In 1. Vesperis.

- | | |
|--|---|
| 1. Summe redemptor omnium,
Honor, virtus fidelium,
Aegyptiaca precibus
Adesto nostri vocibus. | 2. Nam in huius praeconia
Praesens plaudit ecclesia,
Quam supernorum curia
Veneratur cum gloria. |
|--|---|

- | | |
|--|---|
| <p>3. Haec mundi vana respuit
Et delicta, quae coluit,
Dum Aegyptum deseruit
Sionque sanctam adiit.</p> | <p>6. Totam se Deo voverat,
Aestus sitimque spreverat,
Herbis famem compescuit,
Arena thorum praebeuit.</p> |
| <p>4. Ibi deflens innumera,
Quae perpetrarat, scelera
Iordanis undas petiit,
Desertum non abhorruit.</p> | <p>7. Sic devota caelestibus
Sub Sozimae conspectibus
Orans pacem ecclesiae
Elevabatur aere.</p> |
| <p>5. Quis resonare vocibus,
Quis valeat carminibus
Assultus crebros daemonum
Mariam infestantium.</p> | <p>8. Tali signans indicio
Se dignam Dei solio,
Cuius corde et animo
Flagrabat desiderio.</p> |

Brev. Lemovicense imp. Lemovicis 1495.

390. De s. Maria Aegyptiaca.

In 2. Vesperis.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Gaudens omnis fidelium
Pronuntiet ecclesia
Peccatricis praeconium
Mariae cum laetitia.</p> | <p>5. Intemeratae virginis
Se vertens ad imaginem
Scelus fatetur criminis,
Orans beatam virginem.</p> |
| <p>2. Aegyptum habens patriam
Derelictis parentibus
Pervenit Alexandriam
Obscenis vacans actibus.</p> | <p>6. Mox completo precamine
Ecclesiam ingreditur,
Fidem habens in virgine
Plus repulsam non patitur.</p> |
| <p>3. Festinans ad sollemnium
Sanctae crucis quam propere
Ter intrandi dispendium
Suo tulit pro scelere.</p> | <p>7. Quaesumus, auctor omnium,
Ut Mariae suffragio
Des supernorum civium
Nobis frui consortio.</p> |
| <p>4. Templi sedens in atrio
Flet, gemit ad memoriam
Reducens cum suspirio
Passam carnis luxuriam.</p> | <p>8. Gloria, tibi, Domine,
Qui surrexisti a mortuis,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.</p> |

391. De s. Maria Magdalena.

1. Spes famulorum, Christe, tuorum,
Summi parentis unica proles,
Annue votis, suscipe laudes,
Quas in hac die festa Mariae
Plebs recolendo fert tibi concors.
2. Haec Magdalene rite vocatur,
Dum monitorem atque doctorem,
Luminis fontem, vitia linquens,
Gratiam quaerens, pedibus haerens,
Dogmata bibens te speculatur.
3. Ante peccata, post theorema.
Haec amplectendo prima dilecta,
Post diligendo est expiata,
Nam tua dona merita nostra
Nunquam praecedunt, sed comitantur.
4. Quare, resurgens tu primo tali
Apparuisti, ut declarares,
Quia non iustis sed suscitat
Et emundatis munera tuae
Serenitatis maxime praebes.
5. Rogemus ergo nos peccatores,
Ut, qui peccatis purgatam sanctam
Civibus tuis associasti,
Precibus eius nos quoque naevis
Lotis des fontem visere purum.
6. Gloria patri, inclitae proli,
Amborum quoque pneumati sancto,
Qui trinus unus vivit et regnat,
Sapiens idem, potens et bonus
Per infinita saecula Deus.

Brev. ms. Secoviense saec. 11/12. Cod. Graecen. 770. — 4, 1 Qua resur-
gens. — 6, 3 Qui tres.

392. De s. Maria Magdalena.

- | | |
|--|--|
| 1. Deus, qui quosvis eligis,
Qui clemens lapsos erigis,
Ut peccatricem Mariam
Salva nos dando veniam. | 2. O peccatricem nobilem,
Deo concupiscibilem,
O ream famosissimam
Sed Christo dilectissimam. |
|--|--|

- | | |
|---|---|
| 3. Septem Iesus daemonia
Eiecit de te, Maria,
Vera verbi discipula
Attendis hoc benevola. | 7. Mane cum essent tenebrae,
Lumen vidisti celebre,
Dominum tuis oculis,
Quod nuntias discipulis. |
| 4. Florans inter convivia
Rigas Christi vestigia,
Tergis capillis sedula,
Ungis, subiungis oscula. | 8. Hinc maesta dicis: Domine;
Hic te vocat ex nomine,
Audita voce Domini
Laeta respondes: Rabboni. |
| 5. Istis placatus hostiis
Magister et obsequiis
Remittit tibi crimina
Multa, magna, diutina. | 9. Iesus Mariae precibus
Resuscita nos, quaesumus,
A peccatis mortiferis
Ut Lazarum ab inferis. |
| 6. Curata Iesum sequeris,
Christum sublatum quereris
Et ex ardoris cumulo
Ipsam quaeris in tumulo. | 10. Pater per unigenitum
Da spiritum paraclitum
Et post felicem obitum
Da nobis ad te transitum. |

Hymn. ms. S. Mariae Magdalenae Claustroneburgen. saec. ¹⁴/₁₅. Cod. Claustroneoburgen. 996. A. — Hymn. ms. S. Mariae Magdalenae Claustroneoburgen. 999. B. — Hymn. ms. S. Mariae Magdalenae Claustroneoburgen. anni 1336. Cod. Claustroneoburgen. 1000. C. — Brev. ms. Claustroneoburgense saec. 14. in. Cod. Claustroneoburgen. 1200. D. — Hymn. ms. S. Mariae Magdalenae Claustroneoburgen. saec. ¹³/₁₄. Cod. Claustroneoburgen. 1001. E. — 4, 4 Nugis subiungis B. — 5, 2 fehlt A. — 7, 3 suis oculis ABCD. —

393. De s. Maria Magdalena.

- | | |
|---|---|
| 1. Magnum salutis gaudium
Hoc clarum praebet speculum
Exempli paenitentiae,
Dilectae Christi Mariae. | 4. Peccator hoc considerat
Et invidendo murmurat,
Dicens prophetam nescium
Praestare beneficium. |
| 2. Cantemus omnes dulciter,
Quia misericorditer
Florem respexit aridum
Iesus, flos floris virginum. | 5. Exsultent cives caelici,
Omnes chori hymnidici,
Laudantes Deum iubilant
In hoc festo, quod celebrant. |
| 3. Rore caeli perfunditur,
Dum pes Christi perungitur,
Culpa deletur clanculo
Devotionis osculo. | 6. Mariae festum agitur
Magdalenae, quod colitur
Ab omnibus fidelibus
Devotis semper laudibus. |

- | | |
|---|---|
| <p>7. In pace cum dimittitur,
Voce divina dicitur:
Fides tua te salvam fecit,
Quae Deum me esse credidit.</p> | <p>8. Sis nobis tu propitia
Nunc excusando vitia,
Peccando quae commisimus,
Ora pro nobis, quaesumus.</p> |
|---|---|
9. Sit laus patri altissimo
Honorque eius filio
Cum spiritu paraclito
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Altovadense anni 1583. Cod. Altovaden. VI. — 2, 4 Iesus florens virginum. — 4, 2 Et invidens murmurat. — 7, 3 sq. je eine Silbe zu viel. — Nach Str. 4 Divisio; vielleicht ursprünglich zwei Hymnen.

394. De s. Maria Magdalena.

Ad. Vesp. et Laudes.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Magnum salutis gaudium
Laetetur omne saeculum,
Iesus redemptor gentium,
Sanavit orbem languidum.</p> | <p>5. Hinc pharisaeus murmurat,
Qui peccatricem noverat,
Christo mente detraxerat,
Cuius posse non viderat.</p> |
| <p>2. Sex ante Paschae ferias
Advenit in Bethaniam,
Ubi pie post triduum
Resuscitavit Lazarum.</p> | <p>6. Cui respondens Dominus
Convicit eum comminus
Ex obligatis debita
Duobus ad imparia.</p> |
| <p>3. Nardi Maria pistici
Sumpsit libram mox optimi,
Unxit beatos Domini
Pedes rigando lacrimis.</p> | <p>7. Nos ergo Christum iudicem
Amemus, verum indicem,
Nostrae salutis obviam
Ferentes paenitentiam.</p> |
| <p>4. Fervens amore valido
Fletus profluxit oculo,
Cui datur a Domino
Peccatorum nemissio.</p> | <p>8. Haec enim unxit Dominum
Exalabastro cordium,
Dum profluxit contritio,
Tergitque satisfactio.</p> |
9. Honor, decus, imperium
Sit trinitati unicae,
Patri, nato, paraclito
Per infinita saecula.

Hymn. ms. S. Coronae saec. 14. in. Cod. Pragen. I G 17. add. saec. 14. — 7, 2 iudicem. — Nach Str. 3. Divisio.

395. De s. Maria Magdalene.

- | | |
|---|--|
| 1. Electa Christi famula,
Apostolorum apostola,
Pastoris super umera
Ovis vecta centesima. | 3. Nardi pistici nectare
Quae summi regis ungere
Digna fuisti verticem,
Ut invenires requiem, |
| 2. Maria, soror Lazari,
Redivivi quatridui,
Compunctus cuius fletibus
Caelorum flevit dominus. | 4. Te cordis desiderio
Toto precamur, oleo
Tuarum precum vulnera
Reatus nostri medica. |
5. Sit nato cum ingenito
Parique sit paraclito
In unitate gloria
Per infinita saecula.

Cod. Coll. Corp. Christi Oxonien. 197. saec. 12. — Abschrift von Rev.
H. M. Bannister.

396. De s. Maria Magdalena.

Ad Vesperas.

1. Adcelebranda dies Mariae
Emicat annua Magdalenae,
Qua superos sitiens petiit
Ac pereuntia deseruit.
2. Ista rigando pedes Domini
Sponsa Dei meruit fieri.
O veneranda Dei pietas,
Crimina quae Mariae relevas!
3. Concita sub tenebris veniens
Ad tumulum vacuumque videns
Credidit hoc scelus esse pium,
Quaerit ubique, dolet nimium.
4. Dum gemit et queritur, famulae
Iesus adest precibus quaerulae;
Quis sit et unde sit in dubio;
Nomine nominat hanc proprio.
5. Tangere se prohibendo vetat,
Verba Dei iubet ut referat;
Quae mulier reseranda videt,
Discipulis reticere piget.

6. Gloria cum patre sit genito
Spirituque sacro sit honor,
Saecula qui regit ac reparat,
Quod placeamus ei, faciat.

Brev. Auxitanum imp. Auxis 1533. —

397. De s. Maria Magdalena.

Ad Laudes.

1. Festum Mariae veneremur omnes
Criminum noxis veniam precantes
Atque solvendo pariter canamus
Munia laudum.
2. Ad pedes Iesu veniens resedit,
Uberes rivos lacrimarum dedit,
Spiritu sancto meruit repleri
Daemone plena.
3. Porta vim regni patitur superni,
Dum procul pellit mulier reatum
Seque transscendens violenter ipsam,
Scandit ad astra.
4. Laus, honor, virtus simul et potestas
Sit Deo patri genitaeque proli
Et tibi compar, utriusque flamen,
Gloria semper.

Brev. Auxitanum imp. Auxis 1533.

398. De s. Maria Magdalena.

In 1. Nocturno.

- | | |
|---|---|
| 1. Nunc Mariae Magdalenae
Pangamus vota carmine,
Quae meruit diligere
Christum toto conamine. | 2. Cuius sistens vestigiis
Haec sacris lavit lacrimis
Tergens capillis capitis
Et crebris mulcens osculis. |
| 3. Ipsius lota munere
Mox est ab omni crimine;
Deus nos eius precibus
Mundet peccatis omnibus. | |

Collect. ms. Gemmeticense saec. 10. in. Cod. Rotomagen. 26 (A 292).
add. saec. 12.

399. De s. Maria Magdalena.

Ad Laudes.

- | | |
|--|---|
| 1. Ad pedes Christi residens
Et verbum vitae audiens
Maria cordis intima
Indulcat Christi gratia. | 2. Audit dicentem Dominum:
Unum est necessarium,
Elegit partem sobrie,
Quam non quibit amittere. |
| 3. Deus, Mariae precibus
Nos exorna virtutibus,
Ut valeamus fieri
Partis illius socii. | |

Collect. ms. Gemmeticense saec. 10. in. Cod. Rotomagen. 26 (A 292) add. saec. 12.

400. De s. Maria Magdalena.

Ad Primam.

- | | |
|--|--|
| 1. Exemplum paenitentiae
Deus volens ostendere
Dedit Mariae veniam
Peccatorum multimodam. | 2. Quae fudit nardum pisticum
Super caput sanctissimum,
Odor unde nectareus
Statim fragravìt omnibus. |
| 3. Per cuius magnum meritum,
Christe, salvator omnium,
Fac, sit in nostris mentibus
Unctio sancti spiritus. | |

Collect. ms. Gemmeticense saec. 10. in. Cod. Rotomagen. 26 (A 292) add. saec. 12.

401. De s. Maria Magdalena.

Ad Tertiam.

- | | |
|---|---|
| 1. Marthae, Mariae fletibus
Mox ut praecepit Dominus,
Surgit a morte Lazarus,
Vivus datur sororibus. | 2. Harum precatu, Domine,
Clemens e morte animae
Dignare nos eruere
Reddens vitae perpetuae, |
| 3. Ut Mariae dilectio,
Qua te dilexit animo,
In nobis semper ferveat
Hic et per cuncta saecula. | |

Collect. ms. Gemmeticense saec. 10. in. Cod. Rotomagen. 26 (A 292) add. saec. 12.

402. De s. Maria Magdalena.

Ad Sextam.

- | | |
|---|--|
| 1. Resurgens Dei filius,
Mortis destructor inclitus,
Primo Mariae visibus
Apparuit conspicuus. | 2. Discipulis haec nuntia
Prima defert gaudiflua,
Hinc merito apostola
Vocatur in ecclesia. |
| 3. Ergo, Maria, poscimus,
Tuis orationibus
Ut commendes nos Domino,
Cui laus sine termino. | |

Collectan. ms. Gemmeticense saec. 10. in. Cod. Rotomagen. 26 (A 292.)
add. saec. 12. — Von den Hymnen Nr. 398 bis 402 ist in Cheval. Repert.
aus eben dieser Quelle nur Nr. 398 verzeichnet, alle übrigen fehlen.

403. De s. Maria Magdalena.

Ad Tertiam.

- | | |
|---|--|
| 1. Proles matris ecclesiae,
Mariae festum recale,
De cuius paenitentia
Caelestis gaudet curia. | 3. Martham Iesus sollicitat,
Sed Mariam refocillat,
Elegit Martha congruam,
Maria partem optimam. |
| 2. Quae Christum Dei filium
Ita dilexit plurimum,
Ut mereretur omnium
Remissionem scelerum. | 4. Hoc unum necessarium
Nobis a patre luminum
Maria dari impetret,
Pro qua nos idem adiuvet. |

5. Deo patri sit gloria.

Brev. ms. Romarici Montis saec. 16. Cod. Spinalien. 164 (77).

404. De sancta Marina.

1. Marina, virgo Domino devota,
Laudibus digna, precibus rogamus,
Plebe pro ista preces funde tuas
Tempore omni.
2. Faciem pulchram, pulchriorem fidem,
Patiens multum moribus et vita,
Vitam honestam habuit haec virgo.
Semper beata.

3. Floribus fulget coronata virgo,
Obviam pergens sponso atque sponsae
Oleum secum et vasa portavit
Haec sacra virgo.
4. Cognitus fuit sexus in lavando
Virginis huius, Marinae beatae,
Meritis cuius veniam precamur
Caelitus missam.
5. Virginum sacra, virginum beata
Virgo, quam laudat chorus angelorum,
Laudibus fulgens, meritis in caelis
Pro nobis ora.
6. Marina virgo, Domino assistas,
Clero astanti veniam deposcas,
Populi huius dimissis peccatis
Precibus tuis.
7. Gloria patri, filio triumphus,
Honor assistat spiritui sancto,
Tribus personis, deitati uni
Canimus laudem.

Brev. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Archiep. Utinen. Oct. 10. A. —
Brev. ms. Civitatense anni 1467. Cod. Civitaten. LXXIV (28) B. — 1. 1 Marinae A.

405. De sancta Martha.

In 1. Vesperis.

- | | |
|---|--|
| 1. Exsultet aula caelica
In hac die mirifica,
In qua rex Christus inclitam
Martham coronat hospitam. | 4. Exstinctum amne suscitatur,
Dum fidem Christi praedicat,
Avenionis patria
Cessat ab idolatria. |
| 2. Haec est Christi loquifera,
Obstetrix et dapifera,
Cuius sancta petitio
Fit fratris resurrectio. | 5. Martha prece sollicita
Somno torpentes excita,
Ne hora nos anticipet,
Quo sponsus Christus veniet. |
| 3. Dumque Tarascam perimit,
A peste terram eximit,
Et Tarasconis praedia
Gaudent eius praesentia. | 6. Laus sit aeterno solio
Paraclito cum filio,
Qui Mariam glorificat
Marthamque beatificat. |

Brev. Grassense imp. Lugduni 1528.

406. De sancta Martha.

Ad Laudes.

- | | |
|--|--|
| 1. Lux, ecce, surgit fulgida,
In qua Christi iam hospita
Suis praeclaris meritis
Multis splendet miraculis. | 5. Exstinxit Satan lumina
Circa aegram deposita,
Quae post vidente hospita
Soror accendit facula. |
| 2. Draconem invincibilem
Per leonem vel hominem,
Urso vel ullo gladio,
Suo ligavit cingulo. | 6. Haec est magna sollemnitas,
Cuius summa celebritas
Cuius Christus funebria
Praesens peregit dextera. |
| 3. Ad cuius preces Dominus,
Quem necaverat Rhodanus,
Resuscitavit puerum
Iam mortuum per biduum. | 7. Ad cuius tumbam corpora
Sanantur cuncta languida,
Sanitatem recipiunt
Aegri, qui fide veniunt. |
| 4. O digna magnis meritis,
Cuius Dominus oculis
Sonoris monstrans animam
Partem scandentem aetheram. | 8. Flagitemus hanc dominam
In laudibus magnificam,
Ut nos ipsius precibus
Salvemur a criminibus. |
| 9. Gloria patri Domino
Eiusque soli filio,
Regnanti omni saeculo
Cum spiritu paraclito. | |

Brev. ms. Humiliatorum anni 1448. Cod. Vatican. 9217. — 5. 4 ascendit.

407. De sancta Martha.

In Laudibus.

- | | |
|--|--|
| 1. Praeclara Dei gaudia
Mundo sonet ecclesia
In Martha, Dei famula,
Pangens caeli miracula. | 4. O dulcis Christi hospita,
Per tua sancta merita
Ora pro nobis omnibus
Tuum festum colentibus. |
| 2. Haec hospitavit Dominum,
Qui suscitavit Lazarum,
Haec suo sancto precatu
Expurget nos a reatu. | 5. Concedat simplex unitas,
Praestet una divinitas,
Ut tuae laudis cantica
Nobis sint salutifera. |
| 3. Quae draconem leoninum
Per auxilium divinum
Vicit suo funiculo
Utens Dei auxilio. | 6. Sit laus paterno lumini
Cum filio vel flamine,
Ut nos per Marthae meritum
Caeli transducatur aditum. |

Brev. Xantonense impi Pictavii 1542. — 2, 3 Rex suo. — 6, 1 Sit laus patrono. — 6, 3 Ut qui per.

408. De sancto Martino.

1. Martinus meritis compar apostolis,
Praesul magnificus, pontificum decus,
In mundo celebrem consecrat hunc diem,
Qua conscendit ad aethera.
2. Martinus modicus et pauper saeculo
Dives ingreditur regna perennia,
Quamvis ecclesiae pace quiesceret,
Palmam martyrii tenet.
3. Hic Christum media chlamyde texerat,
Tres de morte viros atque resuscitat,
Dum nudis brachiis obtulit hostiam,
Ignis caelitus adfuit.
4. Quanta possideat gaudia perpetim,
Nullum cor penetrat, lingua vel explicat,
Unam namque tenet perpetuo stolam
Praestolatur et alteram.
5. O Martine, Deo praesul amabilis,
Pro nobis Dominum posce piissimum,
Ut mandet miseros, crimine sordidos,
Iustis praemia conferens.
6. Hoc summus genitor, conditor omnium,
Hoc unigenitus filius adnuat
Amborumque simul spiritus omnia
Disponens bene saecula.

Brev. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Archiep. Utinen. Oct. 10. A. — Hymn. ms. S. Petri Mart. Utinen. saec. 16. Cod. Civit. Utinen. s. n. B. — Hymn. et Psalt. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Civitaten. LXXIII. C. — Psalt. et hymn. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LXXII. D. — Brev. ms. Civitatense anni 1476. Cod. Civitaten. LXXIV. (28). E. — Sanct. ms. Aquilegiense saec. 15. Cod. Labacen. 71. F. — Brev. Aquilegiense imp. Venetiis (de Torresanis) 1496. G. — 3, 1 Sic Christum B. — 4, 2 lingua nec explicat F. — 5, 1 H Martine Deo E; O fehlt BG. — 5. 2 nobis posce Deum pissimum F. — 6, 1 Haec summus A. — 6, 2 annuat filius F.

409. De sancto Martino.

Ad 1. Vesperas.

- | | |
|--|--|
| 1. Sancti Martini praesulis
Hymnum laeti referimus,
Qui hoc contempsit saeculum
Mercatusque est praemium. | 2. Qui in adolescentia
Dei praecepta tenuit
Stipemque largam iugiter
Erogavit pauperibus. |
|--|--|

- | | |
|---|--|
| <p>3. Instat doctrina orthodoxa
Digna sortitus praemia,
Pastor verus in populo,
Summus sacerdos rutilans.</p> | <p>5. Magnus exstitit medicus
Infirma sanans corpora,
Devotas solvit animas
Possessas a diabolo.</p> |
| <p>4. Crebris quoque ieiuniis
Carnis reppulit vitia,
Saepe docendo populum
Destruxit mundi idola.</p> | <p>6. Tanta repletus gratia
Obviam Christo abiit,
Nobisque semper maxima
Ostendit mirabilia.</p> |
7. Rogemus ergo, populi,
Confessorem altissimi,
Ut ipse nobis impetret
Pacem et indulgentiam.

Brev. ms. Romarici Montis saec. 16. Cod. Spinalien. 164 (77). A. —
Hymnar. ms. Romarici Montis saec. 15. Cod. Spinalien. 194 (86). B. — 1, 3
hoc fehlt AB. — 3, 1 Instans B. — 5, 3 Devotus B. — 6. 3 Nobis cum
semper A. — Doxol: Deo patri sit gloria.

410. De ss. Quinque Martyribus.

Ad Vesperas.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Proles Francisci germinat
Crucis Christi in stipite,
Flores roseos geminat
Cruore Iesu comite.</p> | <p>4. Radix de terra sitiens
Hos fusti haerens madidat
Et gladius pertransiens,
Profanus inde trepidat.</p> |
| <p>2. Uberes fructus protulit
Rigatos Christi flumine,
Qui rorem stirpi contulit
Cum spiritus munimine.</p> | <p>5. Ignis flamma supponitur
Capillis horum floridis,
Nec is nec caro uritur
Nec membris fuscatur squalidis.</p> |
| <p>3. Dulcem ut gustet palmitum
Liquoremque fragrantiae,
Mortis Christi se hospitum
Iungat [nunc] redolentiae.</p> | <p>6. Rabiem gentis perfidae
De finibus credentium
Aufer, o Iesu, provide
Ob necem morientium.</p> |
7. Familiaequae martyrum,
Pater caelestis gratiae,
Preme hoste[m] atque dirum,
Dextra nos siste acie.

Brev. ms. Franciscanum anni 1492. Clm. Monacen. 23 152. — 3, 4 Iun-
gant; es fehlt eine Silbe. — 7, 3 Prime hostem atque chirurgum.

411. De ss. Quinque Martyribus.

Ad Matutinum.

- | | |
|---|---|
| 1. Pangat sanctorum merita
Coetus minorum candidus,
Mente delectat subdita
Excelsa sede splendidus. | 6. Deficiunt prae taedio
Cruorem mox non fundere
Pro Christi mortis praedio
Contracta corda tundere. |
| 2. Partus virtute generat
Stirpem inclitus fulgidam
Nec ab ipso degenerat
Nobilitate floridam. | 7. Petunt exinde aditus
Paci livore gentium,
Quorum errorem funditus
Eliminant furentium. |
| 3. Suavi multi nectare
Christi sitiunt sanguinem,
Rubentem rosae iubare
Gustant Deum et hominem. | 8. Trucidantur funiculo
Verberum ictus tolerant,
Figuntur spinae spiculo
Nec eas poenas ponderant. |
| 4. Tulisse mortis verbera,
Cum uterum egreditur,
Tremunt pontus et aethera,
Dum cruce pallens moritur. | 9. Plectuntur fracto gladio,
Cervicem tendunt propere,
Iubilantes prae gaudio
Iesum sequi prospere. |
| 5. Languent dolore nimio,
Rubet vultus ob lacrimas,
Dulci Iesu eximio
Donant corpus et animas. | 10. Praestet hoc nobis genitus
Patris caelestis gratiae
Ac utriusque spiritus,
Aeternae iungant gloriae. |

Brev. ms. Franciscanum anni 1492. Clm. Monacen. 23 152. — 9, 4 fehlt eine Silbe; lies praepropere? oder ergänze sequi iam.

412. De ss. Quinque Martyribus.

In Laudibus.

- | | |
|---|---|
| 1. Victrix fides, quam non vides,
Martyres movit quaerere
Mitem esum, dulcem Iesum,
Iam lucis orto sidere. | 3. Reges Christi coram tristi
Alligatisque manibus
Adducuntur, conspuuntur
Somno refectis artubus. |
| 2. Lux in luce, Iesu, duce
Martyres probas framea,
In te flore et nitore
Lux, ecce, surgit aurea. | 4. Igne diro furit tiro
Mens in te, Iesu, iubila,
Iam candescunt et albescent
Nox, tenebrae et nubila. |

- | | |
|--|---|
| <p>5. Cincti fune importune
Teruntur more scoriae,
Iesu, letum aufer, metum,
<i>Splendor paternae gloriae.</i></p> | <p>7. Spina, cruce, mira luce
Lapsos trahe piissime,
Iesu fortis, liber mortis,
<i>Aeterne rex altissime.</i></p> |
| <p>6. Vitam puram et securam
Victorum interemptio
Ferat pacem, auge facem,
<i>Iesu, nostra redemptio.</i></p> | <p>8. Videntium, tacentium
More tyrannum adeunt,
Fluit unda, rubet munda,
<i>Vexilla regis prodeunt.</i></p> |
9. Nunc, victores, conductores,
Iram auferte perfidi
Nos tuendo, inducendo
Ad cenam agni providi.

Brev. ms. Franciscanum anni 1492. Clm. Monacen. 23152.

413. De sancto Matthia.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Apostolorum in ordine
Dei sacerdos Matthias
Fide probatur inclita,
Canatur alta gloria.</p> | <p>5. Sistuntur interim duo
Praesente sanctorum choro,
Testes fuerunt qui integri
Iohannis a baptisate.</p> |
| <p>2. Iudas nefando crimine
Dum Christum iniquis traderet,
Et debita sententia
Est morte raptus pessima,</p> | <p>6. Deinde Christo iudice,
Arbitro mentis intimae,
Apostolatus munere
Sors vera Matthiae exiit.</p> |
| <p>3. Tunc congregati apostoli
Casum videntes perfidi
De plebe quaerunt undique,
Iudae loco quem subrogent.</p> | <p>7. Qui nempe sancti protinus
Infusione spiritus
Cum ceteris est omnium
Linguis locutus gentium.</p> |
| <p>4. Orationis impetu
Simul precantur ad Deum,
Qui corda novit omnium,
Daret ministrum congruum.</p> | <p>8. Hic praedicandi oraculo
Implevit orbis circulum
Et pergit ad caelestia
Christi canens magnalia.</p> |
9. Gloria patri ingenito,
Gloria unigenito
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Legend. ms. Mediolanense saec. 13. Cod. Ambrosian. C 125 inf. — 1, 2 Dei fehlt. — 2, 1 Iudasque. — 5, 3 integram. — 6, 2 mentis interie. — 7, 3 est fehlt.

414. De sancta Mathilde Dissensi.

1. Meritis celsam, praemio beatam
Domini sponsam, spiritalem matrem,
Signis insignem, canimus devoti,
Sanctam Mathildim.
2. Ecclesiarum decor et ornatus
Teneris annis Domino sacratur,
Hostia laudis, pingue holocaustum,
Sancta puella.
3. Herilem prolem unctio magistra
Subdidit cunctis, spiritus libertas
Eminens mundo Domini amore
Dulce servivit.
4. Thorum delicti nesciens migravit,
Nunc quies illi tuta cum supernis,
Quos est hic exsul mente frequentavit,
Corde dilexit.
5. Haustu vinali abstinens beata
Bibit ter vinum caelitus ex aqua,
Daemone mutam purgat, et purgata
Loquitur muta.
6. Illa dum orat, subvenitur aegris,
Reddita salus, virtus manifesta,
Gloriae Christi atque sanctitati
Virginis testes.
7. Laudem, virtutis virus, dum vitaret,
Homines fugit, gloria praecurrens
Virginis sanctae prodidit secretum
Undique praesens.
8. Trinitas sancta semper honoretur,
Gaudium iustis, prece sit iustorum,
Venia nobis, salus universis,
Gloria Deo.

Collect. ms. Diessense saec. 14. in Clm. Monacen. 1076. — Nach der Vita Mathildis von Engelhardus, Abt von Lanchaim, „quodam dictus abbas nunc autem pauper Christi in Lanchaim.“ Dem Leben vorauf geht von jüngerer Hand ein Officium in Reimprosa. — 7, 1 Tandem virtutis. — 8, 2 precesit iustorum. — Akrostichon: Mehtilt.

415. De sancto Mauritio.

Ad Laudes.

- | | |
|--|---|
| 1. Salve, martyr egregie,
Mauriti, princeps principum,
Salve, victor dignissime,
Cohortis ductor inclite. | 3. Oramus, vestris precibus
Culpis mundemur omnibus,
Vincamus piis actibus,
Agni sequamur choreas. |
| 2. Salve, testis dulcissime,
Exsuperi piissime,
Salve, comes et legio,
Salvete, cosmi lumina. | 4. Praesta, solus ingenite,
Praesta, Deus tu genite,
Praesta, sacer paraclite,
Et per aeterna saecula. |

Hymn. ms. S. Petri Mart. Utinen. saec. 16. Cod. Civit. Utinen. s. n. —
2, 4 Salve cosmi. — 3, 3 Vincamur. —

416. De sancto Mauro.

Ad Laudes.

- | | |
|---|---|
| 1. Christe, salvator omnium,
Tuorum vota supplicum
Exaudi nunc propitius
Levitae Mauri precibus. | 4. Cultu vigili pauperum
Caelicum gerens animum,
Maerentibus solacium,
Captivis dat subsidium. |
| 2. Qui pro amore Domini
Amorem liquit saeculi,
Gaudia rerum fluida
Contempsit tua gratia. | 5. Huius Mauri caelibis
Salvantur aegri meritis,
Redintegrantur debiles,
Laetificantur flebiles. |
| 3. Hinc namque sancto pectore
Crucem portat assidue,
In omni actu strenuus,
Locutione inclitus. | 6. Sit Deo patri et filio
Honor et iubilatio
Cum spiritu paraclito
Regnanti poli iubilo. |

Psalt. et hym. S. Servuli saec. 15. Cod. Cicogna 1573 (2065). — 5 3
Redintegrantes.

417. De sancto Mauro.

Ad Vesperas.

1. Inter excelsos niveosque coetus,
Qui sacris caelum meritis adornant,
Inclita Maurus pater ante Christum
Luce coruscat.
2. Hic puer parvus Domino sacratus
Et Benedicti patris ore doctus
Gratia Christi duodennis actus
Cavit iniquos.

3. Parcior victus, cilicina vestis,
Lectio psalmi, lacrimae perennes
Auxerant illi meritum reatus
Adnihilantes.
4. Tum suum Christus decorans alumnum
Illius signis bona publicavit,
Namque non paucis precibus salutem
Contulit aegris.
5. Ad patris iussum laticis profundi
Ambulans sicco pede pressit undas
Et crucis signo nova praeparavit
Lumina caeco.
6. Nunc pius nobis veniam precetur
Et sua nostrum prece frangat hostem,
Eius ut caeli pariter queamus
Scandere sedem.
7. Laus et immensum decus atque lumen,
Trinitas rerum, tibi sit, creatrix,
Cuius est simplex deitas gubernans
Saecula cuncta.

Offic. ms. S. Mauri saec. 12. ex. Cod. Petroburgen. F I 27. — Daraus Gillert in Briegers Zeitsch. f. Kirchengesch. IV, 610 u. f. (G). — 1, 1 vive-
osque G. — 3, 4 Ad nihilantes G. — 4, 1 Cum G. — „Hymnus sancti
patris nostri Mauri abbatis“ Hs.

418. De sancto Mauro.

Ad Nocturnum.

- | | |
|--|--|
| 1. Deus, bonorum praemium,
Lux vera te sequentium,
Iuva colentes annua
Mauri tui sollemnia. | 4. Ibi struens coenobium
Fit dux tibi placentium,
Quos voce, signis, opere
Iuste docebat vivere. |
| 2. Qui more vivens caelico
Sub habitu monastico
Tua repletus gratia
Carnis repressit vitia. | 5. Tunc splenduit miraculis
Factus lucerna saeculis,
Nunc noster in temporibus
Protector exstet, quaesumus. |
| 3. Dehinc nitens virtutibus
Et caritatis actibus
Iussu magistri Galliam
Petit relinquens patriam. | 6. Summo patri ac filio,
Cum spiritu paraclito
Uni Deo, sit gloria
Per saecula perennia. |

Offic. ms. S. Mauri saec. 12. ex. Cod. Petroburgen. F I 27. — Daraus Gillert l. c. 611.

419. De sancto Mauro.

Ad Laudes.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Iam, Maure summis coetibus
Coniunctus in caelestibus,
In valle fletus positos
Tuos revise subditos.</p> <p>2. Qui fraude raptum daemonis
Resuscitasti mortuum,
Nos precibus et meritis
A morte salva criminum.</p> <p>3. De te loquentes perfide,
Duro repletos daemone,
Sanos crucis iuvamine
Non distulisti reddere.</p> | <p>4. Ergo, pater sanctissime,
Tuos sequaces respice,
Hostem repelle pessimum,
Gregem fove monasticum.</p> <p>5. Tuo precatu iurgia
Pellantur et lascivia,
Christi ministros caritas
Et mentis ornet puritas.</p> <p>6. Summo patri ac filio,
Cum spiritu paraclito
Uni Deo, sit gloria
Per saecula perennia.</p> |
|--|---|

Offic. ms. S. Mauri saec. 12. ex. Cod. Petroburgen. F I 27. — Daraus
Gillert l. c. 611 u. f.

420. De sancto Mauro.

In 1. Vesperis.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Congratulemur Domino
Sollemni cum tripudio
Diei huius annua
Recolentes sollemnia.</p> <p>2. In qua exivit hominem
Terrae commendans pulverem
Maurus, confessor inclitus,
Caeli coniunctus civibus.</p> <p>3. Clausus in carnis carcere
Crucem portavit corpore,
Contriti cordis optima
Est factus iugis victima.</p> <p>4. Qua praesentem deificam
Monstrabat sibi gratiam,
Bonis clarus operibus
Multis atque virtutibus.</p> | <p>5. Nam caecis, claudis, ceteris
Aegris ac tribus mortuis
Salutis medicamina
Ope donavit caelica.</p> <p>6. Sodalem traxit aequore,
Fratrem lusum a daemone
Perspexit efficacius
Ac patris viam caelitus.</p> <p>7. Cuius adiuti precibus
Ac mundi culpis omnibus
Reddamur digni strenue
Dono perennis gloriae.</p> <p>8. Sit laus, decus et gloria
Regenti cuncta saecula,
Patri Deo cum filio
Et spiritu paraclito.</p> |
|--|---|

Offic. ms. S. Mauri. saec. 12. ex. Cod. Petroburgen. memb. lat. F I
27. — Daraus von K. Gillert in Brieger, Zeitsch. f. Kirchengesch. IV. 505 u. f.

421. De sancto Mauro.

Ad Nocturnum.

- | | |
|--|--|
| 1. Romanis olim sedibus
Dignis ortus natalibus
Divina providentia
Ut stella fulget splendida, | 5. Nam fame, siti nimia
Atque multa vigilia,
Semper tactus cilicio
Ardore Christi nimio |
| 2. Beati magisterio
Benedicti sanctissimo
Adhaerens multo iustius
Maurus, Christi discipulus. | 6. Multis orationibus
Cordis mixtis singultibus
Dei sibi propitiam
Exhibebat praesentiam. |
| 3. Contracto pede saeculi
Legem servavit Domini,
Terrena pro caelestibus
Lucra mutans mercedibus. | 7. Brevi factus deicola
Multa signorum gloria
Effulsit pater providus
Gallicis regionibus. |
| 4. Quamvis gradu posterior,
Nullo factus inferior,
Pater dat testimonium
Eius signans propositum. | 8. Ubi carne deposita
Per patrata miracula
Notum factum est saeculo,
Quod nunc vivat in Domino. |
| 9. Condignis cuius precibus
Trinus et unus Dominus
Det nobis regna caelica,
Cui virtus et gloria. | |

Offic. ms. S. Mauri saec. 12. ex. Cod. Petroburgen. memb. lat. F I
27. Daraus von Gillert l. c. 606.

422. De sancto Mauro.

Ad Laudes.

- | | |
|--|---|
| 1. Laudet chorus fidelium
Regem auctorem omnium,
Perenni cuius gratia
Reis confertur venia. | 4. Ausu cuius praecognito
Crucis munitus clipeo
Pestem iniquam reppulit,
Quae mirum sonum intulit. |
| 2. Per quem Maurus sanctissimus.
In spe caelesti positus,
Fictae fraudis ridicula
Praecognovit phantastica. | 5. Pro rei certitudine
Sancto flenti pissime
Mox angelus apparuit
Ac ventura non siluit. |
| 3. Nam daemon arte pessima
Intrantem templi limina
Sanctum virum exterritat,
Dum mortes gregis indicat. | 6. Esto certus, carissime,
De tuis nullum perdere,
Sed, cum gregem praemiseris,
A Christo coronaberis. |

7. Fratres viginti septies
Vitae bis binis sexies
Servatis divo munere
Caelesti dantur patriae.

8. Sic iuxta vaticinium
Functus vice mortalium
Pater virtute clarior
Subsequitur felicior.

9. Quo rex aeternae gloriae
Det nobis semper vivere,
Cui sit omnipotentia,
Honor, virtus et gloria.

Offic. ms. S. Mauri saec. 12. ex. Cod. Petroburgen. memb. lat. F I 27.
Daraus Gillert in Briegers Zeitsch. f. Kirchengesch. IV, 607 u. f.

423. De sancto Maximo.

Ad Vesperas.

1. Gratulare, iucundare,
Fidelium devotio,
Veni, die pater, pie,
Magno salutis gaudio.

4. O lucerna, tu pincerna
Christi, reflores gratia
Imitando, demonstrando
Beata nobis gaudia.

2. Nos, Maxime sanctissime,
Defende, dator munerum,
Te amavit, te ditavit
Conditor, alme, siderum.

5. Diligamus et legamus
Confessorisque opera,
Quae demonstrant et illustant
Aeterna Christi munera.

3. Hunc amemus, hunc laudemus
Maximum dignum gratiae,
Quem laudavit et beavit
Summae Deus clementiae.

6. Precor, ora sine mora,
Maxime, caeli candidi
Ut nos ducas et conducas
Ad cenam agni providi.

Brev. ms. Cavense anni 1308. Cod. Casanaten. C. III 2 (1575). —
6, 1 Precamur ora.

424. De sancto Maximo.

Ad Nocturnum.

1. Nocturnis in vigiliis,
In Maximi sollemniis
Noster chorus invigilet,
Quem cordis voce postulet.

3. Maxime, pater inclite,
O confessor magnifice,
Virtute Dei praedite,
Caelo fulges mirifice.

2. Psallamus in natalibus
Doctorisque praeconiis,
In hymnis spiritalibus
Magnis laetemur gaudiis.

4. O sacerdos sanctissime,
Nobis praesta remedium,
Nunc, Maxime mitissime,
Da nobis semper gaudium.

5. Laus illi detur gloria,
Qui maximo cum gaudio
Assumpsit cum victoria
Hunc in caeli palatio.

Brev. ms. Cavense anni 1308. Cod. Casanaten. C III 2 (1575). — 5, 2
maximi. — Vgl. zu Str. I Anal. XXII, Nr. 171.

425. De sancto Maximo.

Ad Laudes.

- | | |
|--|---|
| 1. Aurora surgit aurea
In Maximi tripudio,
Et ut columba nivea
Lux lucet eius radio. | 3. Hic ut stella matutina
Refulgens caeli gaudio
Verbo vitam et doctrina
Dat hic dignis palatio. |
| 2. O pastor admirabilis,
Vir totius prudentiae,
Maxime, tu amabilis
Splendes in caelo gloriae. | 4. Verorum pater pauperum,
Sis adiutor humilium,
Retribuens in posterum
Aeternum his auxilium. |
| 5. Sit trinitati gloria,
Sit honor, sit laus debita,
Nobisque detur venia
Nunc per Maximi merita. | |

Brev. ms. Cavense anni 1308. Cod. Casanaten. C III 2 (1575).

426. De sancto Memmio.

- | | |
|---|--|
| 1. Laetetur urbs sollemniis
Christi sacrati praesulis,
Ex urbe Roma geniti
Summique patris Memmii. | 4. Est Nauda fons in proximo
Urbis dictus vocabulo,
In quo puer, dum decidit,
Funesta mortis pertulit. |
| 2. Petro iubente Gallias
Adiit hic fanaticas
Et Cathalaunis perfida
Sic expetivit moenia. | 5. Huius parentes protinus
Multis currunt cum fletibus
Sanctum rogantes Memmium,
Quod suscitaret mortuum. |
| 3. Illic coetus gentilium
Regem spernebat omnium
Et repellebat dulcia
Divini verbi dogmata. | 6. Confusus hic in Domino
Preces fundit ex intimo,
Ut in salutem civium
Hunc suscitaret mortuum. |

- | | |
|--|--|
| <p>7. Divina vis mox adfuit,
Laetusque puer prosilit,
Civesque Cathalaunici
Se sacro dant baptismati.</p> <p>8. Petunt gaudentes, Memmius
Ut esset urbis maximus,
Sumpsitque culmen cathedrae
Illos replendo lumine.</p> | <p>9. Hic patrator insignium,
Turmis addictus caelitem,
[Deo] ferat suffragia
[Nobisque] poscat praemia.</p> <p>10. Deo patri sit gloria
Eiusque soli filio
Cum spiritu paraclito
Et nunc et in perpetuum.</p> |
|--|--|

Brev. Cathalaunense imp. Viriduni 1570.

427. De s. Mercurio.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Glorietur Armenia
Tanta prole Mercurio,
Laudat Samnitum patria
Sub eius patrocínio.</p> <p>2. At tu prae cunctis, Samnia,
Eius freta praesidio
Gaude, laude tripudia
Pro tanto beneficio.</p> <p>3. Hic ortus in Armenia
Post sacri fontis gratiam,
Qua dicebatur Mansia,
Secutus est militiam.</p> <p>4. Tunc Decius peremerat,
Quos unda sacra tinxerat,
Philippum, patrem et filium,
Cum regerent imperium.</p> <p>5. In cuius poena sceleris,
Mercuri, lux Armeniae,
Poenis te dat innumeris
Et omni contumeliae.</p> | <p>6. Scriptura nempe loquitur,
Quod malum, quod non luitur,
Reum trahit ad alia
Divina de iustitia.</p> <p>7. Et ut scelus acerbius
Reddat infelix Decius
Roma privatum gloria
Ingulat in Caesaria.</p> <p>8. Qui Roma vel Armenia
Plus te dilexit, Samnia,
Illis adversos subigens,
Te sibi semper eligens.</p> <p>9. Quos placuit eligere
Te, martyr, semper colere,
Hos et tu semper protege,
Dum terrae sumus incolae.</p> <p>10. Mercuri, martyr inclite,
Nostros clamores suscipe
Tuis[que] sacris precibus
Munda nos culpis omnibus.</p> |
|---|--|
11. Patri, nato, spiritui
Omnes cantemus cernui:
Perennis tibi gloria,
Qui das aeterna praemia.

428. Da sancta Michaelē.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Archangelorum principi
Devoti cantemus laudem,
Ut sit nobis propitius
Exoremus piis precibus.</p> | <p>4. In necessitate ultima
Per suam misericordiam
Succurrat nobis miseris,
Ne ducamur in tenebris.</p> |
| <p>2. Cum caeli exercitibus,
Quorum dux est egregius,
Succurrat nobis in omnibus
Nostris necessitatibus.</p> | <p>5. Ne hostis nos decipiat,
Nos potenter eripiat,
Ne cadamus in tartarum
Post solutum mortis debitum.</p> |
| <p>3. Absolvat suis precibus
Nos a peccatis omnibus,
Ut videamus Dominum
Per Michaelē archangelum.</p> | <p>6. Adventu suo clarissimo
Et fugato diabolo
Praesentet nostras animas
Redemptori laetissimas.</p> |
7. Hoc praestet filius virginis,
Qui sedet in throno patris,
Per spiritum paraclitum
Qui regit omne saeculum.

Brev. ms. Romarici Montis saec. 16. | Cod. Spinalien. 164 (77). A. —
Hymnar. ms. Romarici Montis. saec. 15. Cod. Spinalien. 194 (86) B. — 2, 1
exercitu AB. — 5, 2 Et nos potenter A. — 7, 2 Sedens in throno B.

429. De sancto Michaelē.

Ad Processionem.

- Regna poli ianuas, populus, intrate per almas
Currite christicolae, prendite regna poli.
Nuntius hic Domini, cuius intratis in aulam,
Semper videt faciem, nuntius hic Domini.
5. Offerat ipse preces vestras, pia vota creanti,
Tundite vos pectus, offerat ipse preces.
Dicite cum lacrimis, quidquid culpastis in actis,
„Parce, rogamus, Deus,“ dicite cum lacrimis,
Moxque vobis tribuet veniam pius ille remissor
10. Plangentibus miserens datque vobis veniam.

Collect. ms. Laurissanum. saec. 9 et 10. Cod. Vatic. Palat. 833. — „In
introitu ecclesiae s. Michaelis.“

430. De sancto Michaelē.

Ad Horas.

- | | |
|---|--|
| <p>1. O Michael eximie,
Caelestis princeps curiae,
Intende nostris precibus
Cum angelorum coetibus.</p> | <p>2. Ora pro nobis Dominum,
Nos solvat nexu criminum,
Angelica suffragia
Fac nobis salutaria.</p> |
| <p>3. Laus tibi, rex altissime,
Iesu bone, piissime,
Laus patri et ingenito
Cum spiritu paraclito.</p> | |

Horar. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Vatican. Reg. 165. A. — Psalt. ms. Benedictin. saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 2921. B. — 1, 1 O fehlt B. — 2, 2 Salva a nexu B. — 3, 2 fehlt A.

431. De sancto Michaelē.

Ad Vesperas.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Angelicae militiae
Nos Michaelē hodie
Laudemus et in posterum
Primatem et signiferum.</p> | <p>3. In magno caeli praemio
Cum suo tunc collegio
Victoriam obtinuit,
Per quam superbum corrui.</p> |
| <p>2. Archangelus est inclitus,
Paradisi praepositus,
Vacat aeterno numini
Ante conspectum Domini.</p> | <p>4. Sic iustis in auxilium,
Dum exeunt exsilium,
Quorum deducit animas
Ad aulas sacratissimas.</p> |
| <p>5. Praesta, Iesu dulcissime,
Fons amoris plenissime,
Ut Michaelis precibus
Nos salves in caelestibus.</p> | |

Horar. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Vatican. Reg. 165. A. — Psalt. ms. Benedictin. saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 2921. B. — 1, 2 Michaelē hos A. — 1, 4 et signifer A. — 2, 1 Angelis militiae est B. — 2, 3 Natat. B. — 3, 2 In suo tunc collegio A. — 3, 4 Postquam superbum B. — 4, 1 Sic iustus A; Sit iustus B. — 4, 2 exeunt fehlt B. — 5, 4 Salvat A.

432. De ss. Nicasio, Quirino, Seuviculo.

1. Gaude, caelestis regis sponsa Christi,
Per mortem crucis copulata sibi,
Militum Christi plaude pro triumphis
Atque coronis.

2. Ex quibus, alme praesul o Nicasi,
Signis resplendens atque documentis
Sanguine fuso victor astra petis
Martyr herilis.
3. Hostis acerbi ferro trucidati
Tres una fide martyres invicti
Capita vectant ultra vadum amnis;
Laus trinitati!
4. Quam gloriosus Dominus in sanctis,
Quos ita facit rutilare signis!
Oret pro nobis ordo triumphalis,
Clarus in astris.
5. Gloria patri, summo conditori,
Gloria Christo, nostro redemptori,
Gloria tibi, spiritus amborum,
Semper in aevum.

Pass. ms. S. Audoeni Rotomagen. saec. 12. in. Cod. Rotomagen. 1406 (Y 41).

433. De sancto Nicolao.

Ad Nocturnum.

1. Gaude, regis sponsa perennis,
Gaude promens cantica laudis,
Cursus solis praesulis almi
Festum mundo fert Nicolai.
2. Qui praeclarum stemma parentum
Ornat factis ex pietatis,
Aurum natas dando patremque
Solvit stupro pauperieque.
3. Caelo lapsa voce tonantis
Christi cessit pastor ovilis;
Orant nautae fluctibus acti,
Mox sedantur proelia ponti.
4. Vulgum pascens esurientum
Mensuris divinitus auctis,
Purgat fucum daemoniorum,
Servat vitae iam ruituros.

5. Salve, praesul, perpetuam
Cernens flentes ac rogitanes
Totas in te spes et habentes,
Cunctos cunctis tolle dolores.
6. Plebem Christi laetificato,
Morbos, pestes alleviato,
Vinci mundum foedere casto,
Per te nobis gaudia sunt.
7. Qui patri cum pneumate sancto
Par existens est homo factus,
Illi grates solvimus omnes
Regnanti per saecula cuncta.

Brev. ms. Emmeramense saec. 15. Clm. Monacen. 14757. A. — Hymn. ms. S. Petri Mart. Utinen. saec. 16. Cod. Civit. Utinen. s. n. B. — 2, 3 dandoque patrem. — 3, 3 Ornant B. — 4, 1 pascis esurientium B. — 4, 3 fugum B. — 4, 4 Servat in te iam B. — 5, 1 perpetua B. — 5, 3 Totas in te spem B. — 6, 1 laetificat B. — 6, 2 Morbo B. — 6, 4 Pro te B. — 7, 3 Illi fehlt B.

434. De sancto Nicolao.

Ad Laudes.

1. Sollemne tempus imminet,
Nostra chorea iubilet
In laude summi iudicis
Et Nicolai praesulis.
2. Congaudet eius gloriae
Caelestis ordo curiae
Talique plaudens compare
Christum frequentat dramate.
3. Huius sequentes gaudia
Dicamus et nos cantica
Pro posse nostro paucula
Votorum vera nuntia.
4. Tu, Christe, nostrum gaudium,
Tu confitentum bravium,
Votis intende supplicum
Donando vitae praemium.
5. Et tu, sacerdos hague,
Nos, Nicolae, respice
Tibi faventes iubilo
Totoque desiderio.
6. Nostros reatus dilue
Tuo clemens oramine.
Tales iuvans exsistere,
Quales fruamur lumine.
7. In quo manens feliciter
Tu trinitati iugiter
Persolvis laudum cantica
Per saeculorum saecula.

Psalt. et. hymn. ms. Valcidorense saec. 11/12. Clm. Monacen. 13067. A. — Brev. Emmeramense saec. 15. Clm. Monacen. 14757. B. — Ant. et. hymn. ms. Scarense saec. 14. [et 15]. Cod. Upsalen. C 422. C. — 2, 3 plaudes C. — 3, 1 Cuius C. — 3, 3 nostra B. — 3, 4 vero A; Voto et voce munia B. — 5, 1 aye ABC. — Nach Str. 7 hängt C noch an:
Sit trinitati gloria,
Sit honor, sit laus debita,
Nobisque detur venia
Per Nicolai merita.

Nach Str. 3. Divisio B. — Aus C bei Klemming III, 137.

435. De sancto Nicolao.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Alme pater clericorum
Exemplarque laicorum,
Vita fulgens angelorum
Nicolae pontifex.</p> | <p>3. Tres scholares suscitasti
Populumque satiasti
Tuum atque relevasti
Virginum infamiam.</p> |
| <p>2. Vox excelsa deitatis
Nuntiavit dignitatis
Tuae atque claritatis
Mentis sancta gaudia.</p> | <p>4. Iudaeus est baptizatus,
Qui a te est suscitatus,
Tu prece pia precatus
Cunctis das auxilium.</p> |
| <p>5. Gloria tibi, trinitas
Et deitatis unitas,
Sit in cuius sollemnitas
Colitur per saecula.</p> | |

Sequent. et hymn. ms. Carmeli Senen. saec. 14. Cod. Senen. G III, 2.

436. De sancto Nicolao.

Ad Laudes.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Aurora surgit aurea
Festa restaurans annua,
Cum Nicolaus arduum
Caeli scandit palatium.</p> | <p>4. Quanta in summis accipit,
Qui sic imis claruit,
Cuius micant prodigia
Per ampla mundi crimina.</p> |
| <p>2. Quam gloriose moritur,
Qui moriendo oritur,
Tunc vere vitam invenit,
Cum morte carnis interit.</p> | <p>5. Nobis, praesul egregie,
Decus et lux ecclesiae,
Tibi festa colentibus
Sacris succurre precibus.</p> |
| <p>3. Sancto exutus corpore
Stola vestitur gloriae,
Carnis exit ergastulum,
Caeli intrat palatium.</p> | <p>6. Sit patri laus ingenito,
Sit decus unigenito,
Sit utriusque parili
Maiestas summa flmini.</p> |

Brev. ms. Strumense saec. 11. Cod. Laurent. Conv. sup. 524. — Str. 1, 4 und die Doxol. aus dem Benediktushymnus gleichen Anfangs; cfr. Anal. IV, 109.

437. De sancto Nicolao.

R. O venerande amice, Dei Nicolae amator.

- Sume, Nicola sacer, devotae munera laudis,
Magna tropaea libens sume, Nicola sacer.
Orgia grata cano populis de praesule magno,
Ut cuncti iubilent, orgia grata cano.
5. Laudibus, alme, tuis populi laetantur ovantes,
Astra poli plaudant laudibus, alme, tuis.
Euge, benigne puer, altus spiramine sacro
Contemnis mammas. euge, benigne puer.
Fulva talenta iacens famam lupanaris ademis,
10. Clamque domum remeas fulva talenta iacens.
Plaude, Myrea, polis tanto redimita decore,
Praesule sub magno plaude, Myrea, polis.
Unda furentis aquae lembum quassavit in alto,
Te prohibente silet unda furentis aquae.
15. Tritica nauta sacer tribuit sub pectore tristi,
Gratulat augendo tritica nauta sacer.
Phalanx iniqua mugit propriis spoliata colonis,
Ima petens Styiae phalanx iniqua mugit.
Torve chelidre, sile, nam nil tua munera prosunt,
20. Fraus et cuncta patet, torve chelidre, sile.
Quid furis, Eustaci, damnas sine crimine iustos?
Victor adest praesul; quid furis, Eustaci?
O venerande nimis, praebens suffragia cuncta,
Omnibus altor ades, o venerande nimis.
25. Quis valet, alme Dei, meritas tibi promere laudes,
Currere per cuncta, quis valet, alme Dei?
Iussa tremenda, minas et fastus Caesaris arces
Eparchique simul iussa tremenda, minas.
Caesar et Ablavius narrant sibi mutua visa,
30. Iussa cito peragunt Caesar et Ablavius.
Gloria, Christe, tibi, sanctos qui mire decoras
Atque nitere facis, gloria, Christe, tibi.
Spiritus astra petit, corpus miracula praebet,
Ossa manant oleum, spiritus astra petit.
35. Pectora cuncta replet mundus de marmore liquor,
Dum fluit a tumba, pectora cuncta replet.
Cantica digna Deo, socii, pangamus ovantes,
Astra simul resonent cantica digna Deo.
Dulcis amor Domini resonet cum voce canora,
40. Personet ore pio dulcis amor Domini.

Gloria, summe pater, tibi sit, qui cuncta gubernas,
 Sit tibi laus et honor, gloria, summe pater.
 Sit tibi, Christe, salus, virtus per saecula cuncta,
 Flamine cum sancto sit tibi, Christe, salus.

Passion. ms. saec. 12. Cod. Vatican. 1190. add. saec. 12/13. — 1 Sum-
 me. — 19 Salve chelydre. — 20 salve chelydre. — 24 alitor.

438. De s. Nicolao Peregrino.

Ad Vesperas.

- | | |
|--|---|
| 1. Exsultet caelum laudibus,
Fulget terra virtutibus,
Colit mater ecclesia
Nicolai sollemnia. | 4. In crucis laude iubilat
Mente, quam manu baiulat,
Crucis virtus est gloria,
Laus et eius victoria. |
| 2. Castus ab annis teneris
Mundique spretis prosperis,
Pauper factus pro paupere
Christo ditatur aethere. | 5. Iacob assumens baculum
Iordanis transit loculum,
Tempsit athleta perfidum
Hostem stravit et saeculum. |
| 3. Nocte discedens laribus
Abrahae novus aemulus,
Urbes lustrans agminibus,
Vacans orationibus. | 6. O summi regis signifer,
Nicolae sat celebrer,
Preces funde pro populo
Degente in periculo. |
| 7. Praesta, pater ingenite,
Iesu, cum sacro flamine,
Ut Nicolai meritis
Bonis fruamur caelicis. | |

Brev. ms. Franciscan. saec. 14/15. Cod. Alexandrin. 233. — 3, 1 Noctis.

439. De s. Nicolao Peregrino.

Ad Matutinum.

- | | |
|--|---|
| 1. Iesu, nostra redemptio,
Amor et vita pauperum,
In Nicolai laudibus
Preces admitte supplicum. | 3. Solis occasu modice
Se pane cibatur lactice,
Non afficit esuries,
Nec gravavit ingluvies. |
| 2. Hic manna pastus caelitus,
Corde mitis angelicus,
Dulcis fuit alloquio,
Alacer in obsequio. | 4. Ioseph abiicit pallium
Vitae affectans bravium,
Christum sequendum Dominum
Catervas fugat daemonum. |

- | | |
|---|--|
| <p>5. Sacro repletus flamine
Ac puerorum agmine
Stipatus mente sedula
Dei fatur magnalia.</p> | <p>6. Hic nudus nudum sequitur,
Eius crucem amplectitur,
Hostem nudus aggreditur,
Caelum dives ingreditur.</p> |
|---|--|

7. Praesta, pater ingenite.

Brev. ms. Franciscan. saec. 14/15. Cod. Alexandrin. 233. — 3, 3 latece.
— 3, 3 resuriet. — 5, 1 famine.

440. De s. Nicolao Peregrino.

In Laudibus.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Iam lucis orto sidere
Patrem laudemus gloriae,
Post Nicolaum pauperem,
Caelestis aulae militem.</p> | <p>4. Hydrum gestabat aereum,
Figurantem aethereum,
Sanans aegrorum milia
Huius vallis in invia.</p> |
| <p>2. Hic Gedeonis facula,
Lagena, latens cerea,
Potens beavit patriam
Hostium caedens agmina.</p> | <p>5. Novus ascendit incola
Caelum, verus deicola,
Patriarcharum socius
Factus est vir catholicus.</p> |
| <p>3. Pannis indutus vilibus
Nudis incedit pedibus,
Baptistam sequens actibus
Eliamque virtutibus.</p> | <p>6. Gaudet chorus angelicus
Simul et apostolicus,
Gaudeat chorus martyrum,
Confessorum et virginum.</p> |

7. Praesta, pater ingenite.

Brev. Franciscan. saec. 14/15. Cod. Alexandrin. 233. — 2, 2 latens crecea.

441. De sancto Olavo.

Ad Nocturnum.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Tardi quidam ad credendum
Nova iura fidei
Christum negant confitendum;
Qui cordis lapidei
Sunt, conspirant ad perdendum
Plantatorem fidei.</p> | <p>2. Multitudo adunatur
Et bellum inducitur,
Iniquitas dominatur,
In regem erigitur,
Leo fortis decollatur,
Et iustus conteritur.</p> |
|--|--|

- | | |
|--|---|
| <p>3. Christiani mox caeduntur,
Rex truncatur gladio,
Quorum animae creduntur
Clariores radio,
Sede sacra disponuntur
Victores in stadio.</p> <p>4. Tortores ad viam vitae
Compellunt oracula:
Veniam petentes ite
Regis ad miracula,
Qua dicatur: Huc venite
Omnes sine macula.</p> | <p>5. Tu confirmes spem tuorum
Fidei constantia,
Vim feramus tormentorum
Pari patientia,
Ut speremus angelorum
Sempiterna gaudia.</p> <p>6. Sit laus, honor patri Deo
Dilectoque filio,
Sacro flamini cum eo,
Ex cuius imperio
Super martyris tropaeo
Laetetur haec contio.</p> |
|--|---|

Ant. et. hymn. ms. Scarense saec. 14. [et 15]. Cod. Upsalen. C 422.
A. — Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. 14/15. Cod. Dresden. A 182. B. — 2, 1 Multitudo invitatur B. — 2, 2 Ad bellum adducitur B. — 2, 4 In rege B. — 3, 6 in proelio A. — 4, 2 miracula A. — 4, 4 oracula A. — 6, 4 Ex eius B. — 6, 6 Laetatur B. — Ad Vesp. steht der Hymnus Anal. XI, Nr. 383, Str. 1—6.

442. De sancto Olavo.

Ad Laudes.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Martyr Christi sublevatur,
Ad domum reducitur,
Vulnus aqua mox lavatur,
Sanguis aqua miscitur,
Aqua mixta deportatur
Et foris effunditur.</p> <p>2. Caecus lapsus casu bono,
Aqua tangit pupulam,
Visum capit aquae dono,
Visus perdit maculam,
Christum laudat dulci sono
Laudis videns faculam.</p> <p>3. Lingua cuidam amputatur,
Et mutus efficitur,
Opem martyris precatur,
Martyr prece flectitur,
Usus linguae reformatur,
Adulescens loquitur.</p> | <p>4. Morbo mulier contracta
Fulta repit baculo,
Inimici fraus abacta
Fracta perit iaculo,
Sana redit languens facta
Regis ab oraculo.</p> <p>5. Sacerdotis detruncati
Membris truncus vehitur
Locum regis ad beati,
Truncus ibi ponitur,
Restauratur sanitati
Et sospes regreditur.</p> <p>6. Ergo Christum imploremus
Opem ferre miseris,
Ut tyrannum superemus
Et ministrum sceleris,
Ut in caelis conregnemus
Reducti ab inferis.</p> |
|--|---|

7. Sit laus, honor patri Deo.

Ant. et hymn. ms. Scarense saec. 14. [et 15]. Cod. Upsalen. C 422.
A. — Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. 14/15. Cod. Dresden. A 182. B. — 1, 4 miscetur AB. — 4, 2 crepit B. — 4, 3 abacta B. — 7, 1 Deo patri B. — Vgl. Str. 2, 3 und 5 schon Anal. XI, Nr. 383.

443. De sancto Paride.

Ad Vesperas.

- | | |
|---|--|
| 1. Gratulemur concinentes
Laudem Dei filio,
Olim caeci et sedentes
Mortis in exsilio,
Iam renati et videntes
Paridis auxilio. | 3. Gaude, felix urbs effecta,
Iam dives et prospera,
Creatoris circumspecta
Admirare opera,
Ne sis vilis et despecta,
Ad salutem propera. |
| 2. Per quem Deus visitavit
Plebem suam mitius,
Eius enim emundavit
Crimina propitius
Et draconis effugavit
Pestem diram longius. | 4. De tenebris in splendore
Verae lucis posita
Fastum pone cum errore
Creatori subdita,
Novae legis in ardore
Patrem caeli visita. |
| 5. Laus sit, honor regi Deo
Per immensa tempora,
Nos conducat ut cum eo
Filius ad supera,
Flamen sanctum cum tropaeo
Nostra roret pectora. | |

Offic. ss. Reparatae, Paridis, Amasii etc. imp. Neapoli 1533.

444. De sancto Paride.

Ad Laudes.

- | | |
|--|---|
| 1. O quam mira, Iesu, fuit
Tua pia gratia,
Dum per undas draco fuit
Morbis ad exitia
Et leonis vita ruit
Ursique saevitia. | 3. In terrenis dum torquemur
Procellarum fluctibus,
Per te, Paris, roboremur
Votis atque precibus,
Ut cum iustis epulemur
Regnis in caelestibus. |
| 2. In stuporem sic conversa
Plebs, erroris filia,
Est ad mentem dum reversa,
Spernit mundi vilia
Cernens mira tam diversa
Sternit iam sculptilia. | 4. Laus sit, honor regi Deo
Per immensa tempora,
Nos conducat ut cum eo
Filius ad supera,
Flamen sanctum cum tropaeo
Nostra roret pectora. |

Offic. ss. Reparatae, Paridis, Amasii etc. imp. Neapoli 1533.

445. De sancto Patricio.

Ad Processionem.

- Salve, festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua fert Patricium Christus ad astra pium.
Sidus praeclarum lumen dat in aethere clarum,
Quod Deus amplificat, mundus eoque micat.
5. Sidus hoc est Phoebus ipsis lucendo diebus
Clarus et eximius lumine Patricius.
Hic non credentem, quam duxit Hibernia, gentem
Coniunxit fidei per sacra verba Dei.
Hic est vir mirus, quo nescit Hibernia virus;
10. Praedicat ille Deum, morsque fugit per eum.
Huius in ore, Deus, tua se miracula palant,
Extā furis balant, paenitet ille reus.
Nos prece felici iungas, pater alme Patriti,
Perpetuo soli, qui micat arce poli.

Process. ms. Dublinense saec. 7. Cod. Oxonien. Ralinson Lit. d 4. —
8 Iunxit fidei. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

446. In Festo Patronarum.

Ad Processionem.

- Aurea lux mundi, resplendens gloria caeli,
Nobis sit fautrix virgo Dei genetrix.
Vincula quae solvis vinctae prius omnia carnis,
Clemens exaudi vota tui populi.
5. Pacis porta Dei stabilis, quia pervia nulli,
Ad caeli sedes has quoque ferto preces.
Rex de qua vitae processit, plena salute,
Dirige sub verbo gaudia nostra tuo.
Filia tu regum, dominatrix caelicolarum,
10. Nos pressos recrea crimine cum venia.
Cuius ad haec gentis comiteris summa decoris,
Quo tempus nostrum fulgeat innocuum.
Florida concordis Christo laus vincta cohortis,
Pignora Sophiae, nos relevate piael
15. Nos quia terrenum scimus superasse tyrannum,
Hinc petimus supero iungite nos solio.
Attala, Perhtsiulindis, Odilia, Spes, Alabidis,
Gesa, Gesta, Fides, cernite nos humiles.
Tertia de binis, gemini cognomen amoris,
20. Matris cara tuae filia, virgo, fave.
Candida, Iustina, Caecilia, Digna, Columba,
Fautrices propriis este simul famulis.

Virginitate pia praefulgens virgo Maria,
Floribus his populum, sancta, tuere tuum.

Antiph. ms. Argentinens. saec. 12. Cod. Londinen. Add. 23922. — 17 sq. Attala, Äbtissin von St. Stephan in Straßburg † 741; Perhstulindis (Berhesindis oder Berswindis), Mutter der hl. Odilie; Alabidis, Gesa, Gesta mir unauffindbare Heiligennamen? — 19 sq. die hl. Caritas, Schwester von Fides und Spes, erstere besonders zu Schlettstadt verehrt. — Abschrift des Hymnus von Rev. H. M. Bannister.

447. In Festo Patronorum regni Sueciae.

Ad Vesp. et Noct.

- | | |
|--|--|
| 1. Lux, ecce, surgit aurea,
Dies salutis oritur,
Regna plaudunt aetherea,
Dum Suecia convertitur. | 4. Ovem abductam revoca!
Pater misericordiae,
Inter vireta collocat
Caelestis alimoniae. |
| 2. Egressus ad undecimam
Horam pater familias
Ovem quasi novissimam
Videt Sueorum filias. | 5. Per patronorum merita,
Deus, creator omnium,
Dimitte nobis debita
Et da perenne gaudium. |
| 3. Mittit sollemnes nuntios,
Ut revocent incredulos,
Reduxit multos devios
Per verbi sui baiulos. | 6. Laus patri sit ingenito,
Laus nato cum paracrito,
Sit firma pax ecclesiae,
Decus patronis Sueciae. |

Brev. Upsalense imp. 1483. Daraus Klemming I, 167 u. f.

448. In festo Patronorum regni Sueciae.

Ad Laudes.

- | | |
|---|---|
| 1. Iam adest dies celebris,
Et lux succedit tenebris,
Iam fides idolatriae
Et veritas fallaciae. | 4. Quam pretiosi martyres,
Quam gloriosi praesules,
Quam venerandae viduae,
Consortes individuae! |
| 2. Sueorum nunc ecclesia,
Gaude, plaude, multiplica
Pro tuae lucis gloria
Devota laudum cantica. | 5. Dum valle de miseriae
Scandunt ad thronum gloriae,
Causam praestant tristitiae
Tibi relictæ filiae. |
| 3. Parentes verbo gratiae,
Quos veneraris hodie,
Tibi sunt causa gloriae
Et fidei primitiae. | 6. Sed geminatur gaudium,
Nati surgunt pro patribus,
Felix redit martyrium
Succedens confessoribus. |

7. Laus patri sit ingenito.

Brev. Upsalense imp. 1483. Daraus Klemming I, 175.

449. In Conversione s. Pauli.

Ad Laudes.

- | | |
|---|---|
| 1. Sancte Paule apostole,
Doctor plebis catholicae.
Fave cunctis fidelibus
Festum tuum colentibus. | 3. Tu enim sanans languidos,
Caecos, claudos [et] mortuos,
Dasque per orbem gentibus
Verbum salutis omnibus. |
| 2. Te Christus, Dei filius,
Vocavit cum terroribus
Teque multorum hominum
Elegit verum medicum. | 4. Nunc ergo nobis, quaesumus,
Succurre peccatoribus
Et post mundi tristitiam
Perennem da laetitiam. |

5. Praestet hoc tuis precibus
Trinus et unus Dominus,
Qui regnat Deus omnia
Per saeculorum saecula.

Diurn. ms. Benedict. Bavar. saec. 14. Cod. Altovaden. X.

450. De sancto Paxentio.

Ad Vesp. et Noct.

1. Fulget celebris dies hominibus,
Quo de tenebris saeculi inclitum
Hostibus victis Christus Paxentium
Vexit ad astra.
2. Hic sanctus, Dei repletus gratia,
Deorum spreta cultura caelica
Appetens terrae tempusit peripsima
Ab infantia.
3. Matrona quidem meritis beati
Huius a lepra rediit saluti,
Mire nam caro, putredo quam textit,
Ut nix refulsit.
4. Patrem, daemonum cultorem, turbavit,
Hostem se Christum fatentem calcavit,
Regem superbum fide superavit
Ac satellitem.
5. Poenarum namque genera beatus
Pro Christo saeva superans gaudia,
Sanguine sacro laureatus, poli
Vera conscendit.

6. Iam caelo sacris sanctorum coetibus
Iunctus exsultat, qui, dum terris vixit,
Gaudia totis viribus calcavit
Impia mundi.

7. Quaesumus ergo, Domine, precibus
Huius sereno hos vultu gubernes,
Quos his iucundos interesse facis
Benignus festis.

8. Patri sit decus, honor quoque nato
Salusque sacro sitque spiritui,
Trinus qui Deus et unus per cuncta
Imperat saecula.

Brev. Cluniacense imp. Parisiis 1503. — 3, 3 Mira . . . quem. —
4, 2 latentem. — 8, 2 sit spiritui.

451. De sancto Paxentio.

Ad Nocturnos.

1. Salvatorem collaudemus
Hac nocte gaudiosa,
Qua decore est indutus
Stolaque pretiosa
Martyr eius Paxentius
In caelesti gloria.

3. Nebuloso situs loco,
Sed caelestis immensa
Lux hunc perlustrat subito
Et ut cera liquida
Angelus iubente Deo
Madefecit pondera.

2. Paxentius martyr laetus
Iudici praesentatur,
Nec hic fide perturbatur;
Fustibus laceratur,
Sed stat orans et illaesus,
Iudexque confunditur.

4. Nostros clemens nexus, Christe,
Eius solve precibus,
Nos et hac nocte ab hoste
Et ab imminentibus
Periculis vigilantes
Hic protege caelitus.

5. Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedictio
Regnanti in trinitate,
Nos quoque oratio
Huius solis claritate
Perducat cum gaudio.

Brev. Cluniacense imp. Parisiis 1503. — 1, 5 cuius. — 3, 1 situr. —
3, 6 Madeficat.

452. De sancto Paxentio.

Ad Laudes.

- | | |
|---|--|
| 1. Lux, ecce, surgit aurea,
Diesque ignescit clara,
In qua martyr Paxentius
Caeli successit civibus. | 3. Martyr pius post nimia
Tormentorum supplicia
Sub crudeli ictu ensis
Vitam finivit in terris. |
| 2. Voce ergo nunc sonora
Laeti Deo praeconia
Iubilemus gloriosa
Huius colentes tropaea. | 4. Ut columba benedictus
Eius et almus spiritus,
Terrae corpus suum linquens
Caelos petivit congaudens. |
5. Doxa patri et filio,
Septiformi paraclito;
Nobis, o martyr inclite,
Salutis opem porrige.

Brev. Cluniacense imp. Parisiis 1503.

453. De sancto Pelino.

Ad Vesperas.

- | | |
|---|---|
| 1. Gaude, felix Brundusium,
Tanto ditata praesule,
Quem sanctorum consortio
Iunxit Deus martyrio. | 3. Ut novum sidus micuit
Sedem tenens Aproculi
Pelinus, praesul inclitus,
Vitae refulgens meritis. |
| 2. Hic castitatis munere,
Doctrinae fulget radiis,
Nec metuens supplicia
Quam plures Christo genuit. | 4. Hostes devicit fortiter
Idola falsa conterens,
Tandem sacratum sanguinem
Fundens tenet caelestia. |
5. Laus et perennis gloria
Deo patri et filio,
Sancto simul paraclito
In saeculorum saecula.

Officia ss. patronorum ecclesiae Brundusinae. Ad normam Breviarii
Romani restituta. Imp. Romae 1583.

454. De sancto Pelino.

Ad Laudes.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Laudemus omnes seduli
Pium auctorem saeculi,
Qui pro bonis aethereis
Pelinum dedit praesulem.</p> | <p>3. Molas frangunt forcipibus
Saevit rota cum dentibus,
Sed per Christi clementiam
Non carpsit penetralia.</p> |
| <p>2. Hic excitatur gloria,
Ut sufferat supplicia,
Senem culpas Aprocolum,
Qui timet mortis iaculum.</p> | <p>4. Tu, pastor, martyr inclite,
Caelesti patrocinio
Ab omni mortis impetu
Tuos defende famulos.</p> |

5. Deo patri sit gloria.

Officia ss. patronorum eccl. Brundusinae. Imp. Romae 1583.

455. De s. Petro Martyre.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Chorus Dei fidelium
Magno laetetur iubilo,
Quod verae lucis semita
Petri patet martyrio.</p> | <p>6. Qui iuxta Medam feriunt
Sacri coronam capitis,
Quem cadens spina sustulit
Fletu dolens assiduo.</p> |
| <p>2. Qui Veronensi patriae
Mediolanum praetulit
Corpusque suum praestitit
Amore puro fidei.</p> | <p>7. Cuius pro morte doluit
Mediolani civitas
Eique tota prodiit
Pectus contundens obviam.</p> |
| <p>3. Hic verba Dei nuntians,
Errores movens penitus,
Et veritatem docuit,
Per quem salvatur quilibet.</p> | <p>8. Ad eius caeci tumulum
Claro recepto lumine
Et claudi rectis gressibus
Pergunt laudantes Dominum.</p> |
| <p>4. Ora clausit haeretici
Pauli doctrina profluens,
Ex illis quoque plurimos
Ad veram traxit regulam.</p> | <p>9. Immundo pressi spiritu
Eius purgantur meritis,
Quorum qui quaerit numerum
Arenae modum flagitat.</p> |
| <p>5. De quo dolentes haeretici
Aeris collecto cumulo
Petro, qui Cumas ierat,
Parant tortores pessimos.</p> | <p>10. Reddamus ergo gloriam
Deo patri cum filio
Una cum sancto spiritu,
Qui nobis tantam praestitit.</p> |

Brev. ms. Ambrosianum saec. 15. Cod. Borgian. M II, 20. — 2, 2
Mediolano. — 4, 1 Oraque clausit. — 4, 2 perfluens.

456. De s. Philippo Argirione.

Ad 1. Vesperas.

1. Si confessoris tanti meritorum
Laudes velimus pangere sonoras,
Eius canamus gratiae triumphum
Corde contriti.
2. Aureum tamquam sidus inter astra
Micat excelsis sedibus polorum,
Et in terrenis merita resplendent
Sancti Philippi.
3. Cui dum floreret iuvenilis aetas,
Prosperitatem saeculi perhorrens
Gazis errorum opibus parentum
Renuntiavit.
4. Immaculatus Romam proficiscens,
Sacerdotali praeditus honore
Tomo recepto mittitur ad montem
Argirionis.
5. Quo pessimorum reperit catervas
Daemoniorum corpora laedentum,
Quos a cavernis expulit petrarum
Atque fugavit.
6. Excelso regi patri genitoque
Ac radianti spiritui sancto
Gloria consors, laus, virtus quoque,
Honor sit perpes.

Collect. ms. Cardin. de S. Severina anni 1529. Cod. Arch. Vaticani X,
89. — 6, 2 radiantis.

457. De s. Philippo Argirione.

Ad Matutinum.

- | | |
|--|---|
| 1. Suam cognovit uxorem,
Quae concepit et peperit
Filium, Dei vigorem,
In quo gratiam repperit. | 2. Philippo ei posito
Nomine suo proprio
Anno completo septimo
Tonsum matre reperio. |
|--|---|

- | | |
|---|---|
| <p>3. Anno scandens vigesimo
Diaconus est ordinatus,
Maximo desiderio
Romam ire declinatus.</p> | <p>4. Ceteros sibi ordines
Magno cum voto suscepit,
Alios inter milites
Sanctus eum Petrus recepit.</p> |
|---|---|
5. Quod is auri perpendebat
Sacris de scriptis pabulum,
Corde sano adimplebat
Cunctumque docet populum.

Collect. ms. Cardin. de S. Severina anni 1529. Cod. Arch. Vaticani X 89. — 4, 4 resedit. — Doxol: Deo patri. — Sind diese Str. nicht Antiphonen eines Officiums, die irrthümlich als Hymnus aufgefaßt wurden?

458. De s. Philippo Argirione.

Ad Laudes.

1. Mira, dum vixit, miranda post corpus
Traditum humo agit virtuose,
In tumba eius sanitatem sumunt
Omnes languentes.
2. Quotquot ad eius tumulum accedunt,
Vel asportantur languidi vel laesi,
Omnes curantur ob omni languore,
Quo patiuntur.
3. Ecce, sacerdos, qui in diebus suis
Placuit Deo, inventus est iustus,
Ideo stolam induit eundem
Gloriae suae.
4. Si quos contingit daemone vexatos,
Quos per vim decet adduci ligatos,
Dum ad eiusdem tumbam adpropinquant,
Deliberantur.
5. O gloriose Philippe confessor,
Exaudi preces tibi supplicantium,
Ut aulam tuis meritis possimus
Ingredi caeli.

6. Excelso regi patri genitoque
Ac radianti spiritui sancto
Gloria consors, laus, virtus quoque,
Honor sit perpes.

Collectan. ms. Card. de S. Severina anni 1529. Cod. Arch. Vaticani X 89. — 1, 2 humum. — 3, 3 induit eum. — In dem zugehörigen Officium befinden sich einzelne rhythmische Teile, so die AA 2—4 der 1. Vesper.

459. De ss. Placido et Sigeberto.

1. Iesu, pax nostra et spes mundi unica,
Tu speciale decus das ecclesiae
Sacris sanctorum reliquiis tuorum,
Quos caelo vectos tibi facis patronos.
2. Unde nunc hymnum symphoniae debitum
Martyris sancti in honore Placidi
Et confessoris Sigeberti comparis
Psallat devota tibi, rex, catervula.
3. Iam, martyr Christi, deprecamur cernui
Eius ad thronum nostrum fer obsequium,
Ut peccatorum mereamur nostrorum
Vinculis absolvi et quiete perfrui.
4. Confessor sancte, vota nostra suscipe
Et Dei nostri in conspectu subveni,
Quo pacis dono potiamur sedulo
Et assistamus angelorum laudibus.
5. Athletae bini, cunctum clerum tueri
Velitis omnem et christianitatem,
Post vitae metam in fide stabilitam
Cunctis beate impetrando vivere.
6. Trina maiestas atque simplex unitas,
Concede tuis dignanter hoc famulis,
Cui sit in caelo gratiarum actio,
Honor, laus, doxa per aeterna saecula.

Brev. ms. Curiense saec. 15. Cod. Scotor. Vindobonen. 54. h. 15. — 5, 1 tuere. — 5, 2 vitae meatam.

460. De sancto Prospero.

- | | |
|---|---|
| <p>1. O gloriose pontifex,
Miraculorum opifex,
Implora nobis caelitus
Largiri dona spiritus.</p> <p>2. Cuius perfusus flamine,
Virtutum clarus munere,
Prosper vocatus nomine,
Prosper fit magis opere.</p> <p>3. Sequens veram iustitiam
Perfectionis operum
Terrenam opulentiam
Dedit in cibos pauperum.</p> <p>4. Paternis spretis laribus
Cum pompis saecularibus
Fit imitator sedulus,
Christi verus discipulus.</p> | <p>5. Romae cito applicuit,
Instando, ut proposuit,
Vir sanctus, apostolicus,
Prosper, doctor basilicus.</p> <p>6. Hunc pontifex per spiritum
Elegit in antistitem
Regii virum inclitum,
Bonorum morum divitem.</p> <p>7. Sacra fudit eloquia
Per cuncta mundi spatia
Doctorum flos eximius
Ut paradisi fluvius.</p> <p>8. Omni praestat infirmanti
Sanctus opem se roganti,
Caecis, claudis, surdis, mutis
Sanitati restituti.</p> |
|---|---|
9. Honor, decus, imperium
Sit Deo, regi gloriae,
Qui se suis in praemium
Donat electis patriae.

Offic. ms. S. Galgani saec. 16. Cod. Senen. F VI 22. — 3, 4 cibus. — 5, 2 Instans. — 6, 3 Regi. — 8, 1 in firmitati.

461. In Elevatione beati Quintini.

Ad Matutinum.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Post temporum curriculum
Ignorant omnes tumultum,
Per divinum oraculum
Revelandum Eligio.</p> <p>2. Locum illustrat claritas,
Mira fragrat suavitas,
Fulget virtutum novitas
Signorum testimonio.</p> <p>3. Dens eductus putredinem
Non educit, sed sanguinem,
Quem ut favi dulcedinem
Sancti servat devotio.</p> | <p>4. Sanctus sanctum mirificat,
Sepulturam aedificat,
Auro gemmisque fabricat,
Cuius ars maior pretio.</p> <p>5. Lucerna clausa latebris
Extingui nequit tenebris,
Ad hoc nata, quod celebris
Eius fiat productio.</p> <p>6. Ergo prodit in medium
Sevata super modium,
Dum fervore fidelium
Renovatur translatio.</p> |
|---|---|

7. Tu esto nobis gaudium,
Per cuius beneficium
Tamquam rosa vel lilium
Reflorescit in Maio.

Brev. S. Quintini Viromandensis imp. absque [1520].

462. De sancta Radegunde.

1. Christe, cunctorum sator et redemptor,
Siderum, terrae maris atque rector,
Omnium laudes tibi personantum
Solve reatum.
2. Vase qui gemmas fragili recondis,
Viribus fusas animo pudicas
Feminas reddens faciensque claros
Ferre triumphos.
3. Quas et in sexu fragiles videmus
Praerogativas meriti coronas
Incolas regni facit et perennes
Esse superni.
4. Cum quibus regnat Radegundis alma,
Inclitum cuius in honore festum
Mente devota celebrando dignas
Carminis odas
5. Quae suo nobis veniam precatu
Impetret casto comitante coetu
Atque caelestem reticere secum
Postulet arcem.
6. Laus patri summo genitoque vero
Flamini necnon ab utroque fuso,
Sit laus perpes, honor atque virtus
Omne per aevum.

Brev. Xantonense imp. Picta vii 1542. — 1, 3 personam tum. — 4, 4
Statt Carminis odas ist wohl ein Verbum im Sinne von Dicimus, canimus oder
dergl. zu lesen.

463. In Festo Reliquiarum Exoniensis Ecclesiae.

Ad Processionem.

- Salve, festa dies, toto venerabilis aevo,
 Qua datur in caelis gloria digna Deo.
 Sint decus ecclesiae, mundi decor et robur urbis
 Huius, quos hodie grex canit iste Petri.
5. Gaudeat Exonia tot sanctos concelebrando
 Per quos est votis saepe potita suis.
 His favet, ipse Deus, horum meritis et amore
 Saepe nociva fugat, dat bona, mira patrat.
 Labitur ex turri quidam nec laeditur, alter
10. Huc manibus repens hinc pede sanus abit.
 Et puer et mulier contracti restituuntur
 Huc dum muta venit fit veniendo loquens.
 Quaedam surda simul et muta sopore soluta
 Hic meruit duplam vocis et oris opem.
15. Debilis et mutus, a sancto Glastoniense
 Iussus ut hic vigilet, paret ovansque redit.
 Plaudit laeta manu mulier prius arida nervos
 Libera curvato cum fit ab ungue vola.
 Lumen aqua putei baculo mediante recepit
20. Caecus ut in Siloë sic operante Deo.
 Innumeris aliis hos Christus mirificavit
 Signis, quae nequeunt sub brevitae cani
 In Domino sanctis, sit in ipsis gloria Christo
 Nobis qui det eos semper adesse pios.

Psalt. ms. Exoniense saec. 11/12. Cod. Londinen. Harl. 863. add saec.
 14. — Absch. von Rev. H. N. Bannister.

464. In Translatione ss. Reliquiarum Ecclesiae
 s. Frambaldi Silvanectensis.

In 1. Vesperis.

- | | |
|---|--|
| 1. Sanctorum nobis meritis
Te, Christe, collandantibus
Adesto tuis inclitis
Donans effectum laudibus. | 3. Abbatum sancta caritas
Nobis praestet auxilium,
Reginarumque sanctitas
Votis assit humilium. |
| 2. Sacerdotes et praesules
Sua servantes corpora
Nos servos servent xesules,
Nostra gubernent tempora. | 4. Multis sanctorum praedita
Membris plaudat ecclesia,
Thesauri sibi credita
Sacri colens insignia. |

5. Praesta, beata trinitas,
Per istorum suffragia
Nobis coronas perditas
In sempiterna gloria.

Brev. Silvanectense imp. Parisiis 1521.

465. In Translatione ss. Reliquiarum Ecclesiae
S. Frambaldi Silvanectensis.

Ad Laudes.

- | | |
|--|--|
| 1. Voces attollat populus
Laudis hac die celebris,
Cuius salutis titulus
Claret in mundi tenebris. | 3. Hi, dum praesunt hominibus,
Student prodesse singulis,
Verba complent operibus,
Vita claret miraculis. |
| 2. Sancti doctrinae lumine
Caecos illustrant populos,
De sparso verbi semine
Plenos metunt manipulos. | 4. Mundi vanas divitias
Reginae sanctae respuunt
Propter regni delicias,
Quibus in caelis adfluunt. |

5. Praesta, beata trinitas,
Per istorum suffragia
Nobis coronas perditas
In sempiterna saecula.

Brev. Silvanectense imp. Parisiis 1521.

466. De sancta Reparata.

Ad Vesperas.

- | | |
|---|---|
| 1. In titulos, Reparata, tuos
Personat iste chorus modulos,
Cum tribuit duo sarta tibi
Sponsus ovans sociatque sibi. | 4. Sed tua cedere nescia mens,
Inviolabile robur habens,
Blanda vel aspera quaeque soli
Nil reputat ratione poli. |
| 2. Clara propago, decens facies
Schematis insinuat apices,
Sed fidei pia vita comes
Praecipuas fovet intus opes. | 5. Caederis hinc sacra verba lo-
quens,
Plumbea massa soluta coquens
Esse nequit, quia cunctipotens
Alterat et rapit omne nocens. |
| 3. Impius error ubique furens,
Caelica spernere sacra iubens
Praecipit et monet, ut varios
Suscipias celebresque deos. | 6. Gloria sit sine fine patri
Ingenito genitoque pari,
Par quoque gloria spiritui,
Qui patris est amor et geniti. |

Offic. SS. Reparatae, Paridis, Amasii etc. imp. Neapoli 1533. — 1, 3 tribuit Domino sarta. — 3, 3 praecepit. — 6, 3 Parque gloria. — Mel. natürlich: Martyris ecce dies Agathae.

467. De sancta Reparata.

Ad Laudes.

- | | |
|---|--|
| 1. Torrida lampas adapta tibi
Poena dolorque fuere cibi,
Improba dextera plaudit ibi,
Anxia vincere victa sibi. | 3. Sicque laboris agens studium
Magna virago subit gladium,
Luminis eximii radium
Dante Deo capit in bravium. |
| 2. Carceris atra libens toleras
Ignivomumque rogum superas,
Dira novacula per tenerum
Ducta caput facit hoc lacerum. | 4. Fructibus ergo referta bonis
Sidereisque locata thronis
Posce piis veniam precibus
Veraque gaudia supplicibus. |

5. Gloria sit sine fine patri etc.

Officia ss. Reparatae, Paridis, Amasii etc. impr. Neapoli 1533. — 1, 4
Ansia. — 2, 4 hoc fehlt. — Mel. wie beim vorhergehenden Hymnus.

468. De sancta Restituta.

- | | |
|---|---|
| 1. Pangamus, o carissimi,
Odas beatae virginis
Nunc, Restitutae martyris,
Quae claruit mirifice. | 5. Carnillus flumen iubilet
Perfusus tanto sanguine,
Qui caput sacrae virginis
Septem dies retinuit. |
| 2. Nam sacris suis meritis
Satis Sora resplenduit,
In qua quiescit corpore
Multa fiunt miracula. | 6. Quo pontifex Amasius
Per visum hinc admonitus,
Ut properasset ocus
Et caput membris iungeret. |
| 3. Ibi per Christi gratiam
Sanantur aegri plurimi,
Purgantur et vexatici,
Malis oppressi variis. | 7. Preces fundamus supplices
Nunc martyri eximiae,
Quo mereamur perfrui
Sancta in fine saeculi. |
| 4. Exsultet omnis civitas
Totaque plebs fidelium,
Quod artius optavimus,
Deo iuvante fruimur. | 8. Laus sit parenti Domino,
Laudes canamus unico,
Laudes amborum flamini
Per tempora laudabili. |

Collect. ms. saec. 17. Cod. Alexandrin. 93. — „Ex ms. Ecclesiae s.
Restitutae Soranae.“

469. De sancta Restituta.

1. Plaude nunc, Sora, sacra Dei dona,
En, tibi adest celebrandus dies,
In quo beata virgo Restituta
Subiit caelum.
2. Haec orta Romae nobilis matrona
Ethel de patre, Dabia de matre,
Testis effecta asserendo Christo
Fortis et verax.
3. Consulem spreuit impium agacem,
Lampas extinxit, calicem resolvit,
Viduae proli reddidit salutem
Christo iuvante.
4. Convertit multos ab erroris via,
Longius pellit daemonum ruinam,
Propter quod [nos]met rogemus omnes
Illius preces.
5. Haec plebs misella supplex te appellat,
Propter quod sacris meritis succurre,
Ne suis culpis pereat nefandis,
Quae perpetravit.
6. Quaesumus ergo, gloriosa virgo,
Nostris pro culpis Dominum precare,
Quatenus regnum capiamus tecum
In sempiternum.

Collectan. ms. saec. 17. Cod. Alexandrin. 93. — „Ex ms. eccl. S. Restitutae Soranae.“ — 2, 3 ad verendo Christo. — 5, 3 suis lupis.

470. De sancto Roberto.

- | | |
|---|---|
| 1. Gaude, sponsa Dei,
mater ecclesia,
Mater sancta spei,
deprome gaudia. | 2. Adest namque dies
assunt sollemnia,
In quibus Robertus
coronat gloria |
|---|---|

3. Illa, quae sursum est,
quae finis nescia
Finem dat lacrimis,
finit terrestria.

5. Cum de exsilio
redit ad patriam,
Dignam pro gratia
recipit gratiam.

4. O quam laeta dies,
quanta festivitas,
In qua soluta est
sancti captivitas!

6. O sancte Roberte,
conconcis superum,
Iter ad patriam
fac nobis prosperum.

7. Laus patri gloriae,
laus eius filio,
Sancto spiritui
sit laus cum cantico.

Collect. ms. Gemblacense saec. 13. Cod. Bruxellen 5527—34. — 6, 1
O fehlt. — 6, 2 Conscius.

471. De sancto Roberto.

Tempore paschali.

1. Chorus novae Ierusalem
Novam meli dulcedinem
Promat colens cum sobriis
Robertum festi gaudiis.

5. In caritate fervidus
Cunctis exsistis proximus,
Ope, verbo, virtutibus
Gratis succurrens opibus.

2. Qui mundum velut [carcerem]
Abhorrens solitudinem
Elegit, ut libentius
Christi vacaret laudibus.

6. Huius, o Christe, precibus,
Protegamur ab hostibus,
Inter festa paschalia
Quem transfers ad caelestia.

3. Ibi se Deo dedicans,
[Ieiuniis] carnem domans,
[Mansit] mundus a vitiis,
Miris repletur gratiis.

7. Ipsum precemur supplices,
Ut devotos et humiles
Propulso mentis vitio
Servet nos in coenobio.

4. Fortuna nulla vincitur,
Nullius bonis utitur,
Cum afflictis afficitur,
Nec a laetis discernitur.

8. Per saecula metae nescia
Patri supremo gloria,
Honorque sit cum filio
Et spiritu paraclito.

Brev. ms. Casae Dei (?) saec. 14/15. Cod. Vesolan. 14. — 1, 2 Mellis. —
4, 2 uritur. — Die Melodie des Hymnus ist jedenfalls die des Osterhymnus
gleichen Anfangs.

472. De sancto Roberto.

- | | |
|---|--|
| 1. Inter claras margaritas
Radiantes meritis,
Quae decore multiformi
Pingunt caeli regiam, | 5. O quam felix sors sanctorum,
Finis omnis nescia,
Nec labori nec dolori
Cui libet obnoxia! |
| 2. Collocatae feriatim
Per distinctos ordines
Circa thronum creatoris,
Cuius mira species, | 6. Quam beatus vitae status
Lumen verum cernere,
Quodque amas diligendo
Iam non ultra quaerere. |
| 3. Stola candens immortalī
Stat Roberti spiritus,
Meritorum dignitate
Iunctus confessoribus. | 7. Hanc ad sortem pertingamus
Eius sanctis precibus,
Cuius celebramus festa
Debitis cum laudibus. |
| 4. Pretioso redimitus
Frontem diademate,
Quod paravit illi Christus
Praemium iustitiae. | 8. Patri filioque sancto
Laus sit atque gloria
Flaminique coaequali
Per aeterna saecula. |

Brev. ms. Casae Dei (?) saec. 14/15. Cod. Vesolan. 14.

473. De sancto Romarico.

- | | |
|---|--|
| 1. Ave, Romarice,
Dux, Dei amice,
Honor monachorum,
Gemma confessorum. | 4. Deo consecrasti
Multumque ditasti
Nobilissimarum
Locum puellarum, |
| 2. Ora summum regem,
Ut hunc salvet gregem,
Et in tuo festo
Nostri memor esto. | 5. Quas in laude Christi
[Tu] constituisti,
Ut per melodiam
Cantent psalmis [piam]. |
| 3. Eras principalis
Ac aulae regalis,
Post anachorita,
Sacra plenus vita. | 6. Has Romae pastori
Regnique rectori
Tradis edocendas
Atque defendendas. |
| 7. Sit laus creatori,
Sit laus redemptori
Atque tibi, flamen,
Utriusque. Amen. | |

Hymn. ms. Romarici Montis saec. 15. Cod. Spinalien. 194(86). add. saec. 16. ex.

474. De sancto Sebastiano.

- | | |
|--|--|
| 1. Gratulare, ecclesia,
Nova ferens gaudia,
Lumen fulget de tenebris
Sebastiani martyris. | 5. Hinc inde volant sagittae,
Asperime sagittatur,
Corpus sagittis florescit,
Ut mortuus relinquitur. |
| 2. Prudens, verax erat, iustus,
Pater paratus omnibus,
Carus Deo, hominibus,
Verissimus Dei cultor. | 6. Furens Diocletianus
Sanctum non esse mortuum,
Denuo quem fustigari
Sic praecipit, ut periret. |
| 3. Hic accusatur impio
Subito imperatori
Famulari Christo Iesu
Mundi pompam despiciens. | 7. In cloaca proicitur,
Ut abscondatur mortuus,
At visio fit Lucinae,
Sebastianum tumulet. |
| 4. Iubet Diocletianus
Sebastianum ligari
Velut signum sagittandus
In medio campi statim. | 8. Facto noctis silentio
Lucina sanctum conservat,
Ecclesias sancto condit
Opes relinquens Domino. |

9. Gloria tibi, Domine.

Brev. ms. Ambrosianum saec. 15. Cod. Borgian. M II 20. — 1, 2 fehlt eine Silbe; lies ferendo oder sollemnia? — 2, 2 patratus. — 3, 4 pumpam.

475. De ss. Secundiano, Marcelliano, Veriano.

In 1. Vesperis.

- | | |
|---|--|
| 1. Inter coronas martyrum
Fulgent tropaea militum,
Fortem dato qui sanguine
Vicere iniquum zabulon. | 5. Hinc iam fides suboritur,
Baptisma sacrum subeunt,
Fiunt et ipsi martyres
Cervice caesa duriter. |
| 2. Secundianus sophicus,
Marcellianus physicus
Ac Verianus nobilis
Instar eorum claruit. | 6. Horum recondens corpora
Servavit olim Italia,
Quos nunc habendo Gallia
Fovet, honorat, excolit. |
| 3. Fulsero in urbe Roma
Sub principali chlamyde
Dedentes neci plurimos
Christicolae poenaliter. | 7. Vos o precamur supplices,
Sancti Dei rectissimi,
Nostri reatus vincula
Vestro precatu solvite. |
| 4. Quos intuentes fortiter
Christi mori pro gloria,
Non digna credunt vulnera
Suscepta tanta gratia. | 8. Laudemus omnes unicam
Patris natique ac spiritus
In unitate gloriam
Per saeculorum saecula. |

Brev. ms. Iotrense saec. 13/14. Cod. Parisin. 750. — 6, 1 recundens.

476. De sancto Senerico.

- | | |
|---|--|
| 1. Cunctarum rerum Domino
Sit laus et iubilatio
In Senerici gloria,
Quae data est ex gratia. | 4. Confregit hostem viribus,
Quas accebit divinitus,
Regnum se fecit Domino
Regi regum pacifico. |
| 2. Senericus iuenculus
Piis intentus studiis
Spernendo mundi gloriam
Comparavit perpetuam. | 5. Resplenduit virtutibus,
Quas servo dedit Dominus
Languores curans corporum
Medensque morbos mentium. |
| 3. Levita apostolicis
Ordinatus in sedibus
Stola se sanctimoniae
Ornavit et iustitiae. | 6. Precatu cuius adiuva
Omnipotens nos trinitas,
Pater, fili, paraclite,
Regnans aeterno tempore. |

Passion. ms. saec. [9. 10.] 11. Cod. Parisin. 5574.

477. De sancto Senerico.

- | | |
|--|---|
| 1. Senericus, hic advena
Veniens ex Italia,
Exemplis alter Abraham
Sprevit parentes, patriam. | 3. Succurrit paenitentibus
Praesens se deprecantibus,
Inflectit pium iudicem
Reatum confitentibus. |
| 2. Fulsit in nostras tenebras
Illustrandas per Dominum
Ut lampas clara iubare
Verbo, factis et opere. | 4. Precatu cuius adiuva
Omnipotens nos trinitas,
Pater, fili, paraclite,
Regnans aeterno tempore. |

Passion. ms. saec. [9. 10.] 11. Cod. Parisin 5574.

478. De sancto Severo.

1. Iste confessor, nobis intercessor
Caelitus datus, columba monstratus,
Sic est sociatus praesul hic beatus
Sanctus Severus.
2. Hic quondam nere more muliebri
Novit, carpere lanam et texere,
Hic monochordum plus quam decachordum
Tangere suevit.

3. De remo Petrum, de lana Severum,
Ambos de thoro, quos praefecit choro,
Deus vocavit et eis donavit
Esse pastores.

4. Convivis suis, o Severe, tuis
Esto placatus, nostrorum reatus
Precibus dele, fer opem medelae
Nobis sanandis.

5. Virtute sana doce nos et vana
Mundi spernere, Deo adhaerere
Nunc et in aevum, ut vitemus naevum
Ipso praestante.

Brev. ms. Halberstadense saec. 15. Cod. Wernigeroden. Za 42. A. — Brev. Basileense imp. Basileae 1498. B. — 4, 1 Cum convivis A.

479. De sancto Severo.

Ad Vesperas.

1. O pontifex sanctissime,
Christi confessor optime,
Succurre nobis miseris
In hac valle miseriae.

2. Nam laudes tibi debitas
Concinimus hoc tempore,
Ut sanctis tuis precibus
Expurgemur a crimine.

3. Severe, pater inclite,
Preces devotas suscipe,
Quod digne sancta merita
Tua possimus promere.

Officium sanctorum patronorum ac protectorum civitatis Parthenope.
Impr. Neapoli anno Domini 1525. — Anfang der Doxologie: Gloria tibi Domine | Qui surrexisti.

480. De sancto Sigfrido.

Ad Vesp. et Noct.

1. Sigfridi archipraesulis
Odas solvamus carminis,
Qui Suecis verbo dogmatis
Dona fudit baptismatis.

3. Hic Anglicus natalibus
Est ortus sed nobilibus
Testatur id prosapia
Anglorum regum regia.

2. Ut iubar sui luminis
Gemma fundit in tenebris,
Sic doxa Christi numinis
Praesul fulsit hic bilibris.

4. Hic Anglicus angelicus,
Qui missus nobis caelitus,
Nos iungat suis precibus.
Angolorum apicibus.

5. Laus sit patri ingenito
Honorque unigenito,
Gloria sancto flamine,
Decus Sigfrido praesuli,

Legend ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. 14/15. Cod. Dresden. A 182. A. — Ant et hymn. Scarense saec. [14, et] 15. Cod. Upsalen. C 422. B. — Brev. Scarense imp. Norimbergae 1498. C. — 1, 3 Suenis B, Suenis C. — 2, 2 fudit AB. — 2, 3 sancti numinis B. — 2, 4 fulsit in tenebris B. — 4, 2 missus est C. — 5, 1 Laus patri sit B; sit patri sit genito C. — 5, 2 Honor sit B. — Aus C bei Klemming I, 152.

481. De sancto Sigfrido.

Ad Laudes.

- | | |
|---|---|
| 1. Ignitus sancto flamine
Et Dei tactus fame
Sigfridus gentem propriam
Postponens adit Sueciam. | 4. Rigatus verbo fidei
Olavus fit cultor Dei,
Cor praebens sancto dogmati
Collum subdit baptismati. |
| 2. Illic regem cum populo
Potatum fraudis poculo
Invenit et condoluit,
Quod haec gens deos coluit. | 5. Sigfridus dictus signifer
Et Dei verus armiger
Hostem stravit nequitiae
Gentem baptizans Sueciae. |
| 3. Mox unum Deum praedicat
Regi fatur et indicat,
Salvatur, qui crediderit
Baptizatusque fuerit. | 6. Laus patri sit ingenito
Honorque unigenito,
Gloria sancto flamine,
Decus Sigfrido praesuli. |

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. 14/15. Cod. Dresden. A 182. A. — Ant. et hymn. ms. Scarense saec. [14 et] 15. Cod. Upsalen. C 422. B. — Brev. Scarense imp. Norimbergae 1498. C. — 3, 3 Salvus erit qui crediderit AC. — 4, 3 sacro C. — 4, 4 Collum submittit AC. — Aus C bei Klemming I, 159.

482. De sancto Sigfrido.

Ad Laudes.

- | | |
|---|---|
| 1. Laudes atque praeconia
Dulces promit Werendia
Sancto Sigfrido conscia
Concentus et aromata. | 2. Ex cuius eloquentia
Irradiatur Suecia,
Tam nobilis praesentia
Vexionis ecclesiae. |
|---|---|

- | | |
|---|--|
| <p>3. Hinc caeli canit curia
Intermina laetitia,
Hinc personat melodia
Caelesti cum hierarchia.</p> | <p>4. Iam tanti per suffragia
Nos caelibis propitia
Dignos ducat ad gaudia
Vera quoque sotheria.</p> |
|---|--|

5. Laus Deo patri sit pia,
Immensa reverentia,
A quo manat clementia,
Sancto Sigfrido gloria.

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. 14/15. Cod. Dresden. A 182. A. — Ant. et hymn. ms. Scarense saec. [14. et] 15. Cod. Upsalen. C 422. B. — Brev. Lincopense imp. Norimbergae 1493. C. — 1, 1 et praecognia B. — 1, 2 Warendia A. Verendia A. — 2, 1 eius C. — 2, 4 Wexionensis C. — Str. 3 fehlt AC. — 4, 1 Nam BC. — 4, 2 Nos civibus propitia B. — 4, 4 quoque aetherea AC. — Aus C Klemming I, 160 sq.

483. De ss. Simone et Iuda.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Throno sedente principe
Cum venerit discernere,
Qui iudicabunt Israel,
Assunt duo uno germine,</p> | <p>5. Rursus magique immiserant
Serpentium tot milia,
Ipsos repente vulnerant,
Venena qui produxerant.</p> |
| <p>2. Parem gerentes gloriam,
Germana caeli pignora,
Simon beatus cum sacro
Zelote Iuda apostolo.</p> | <p>6. Ferae malignae tigrides
Perdunt furorem supplices,
Signis quibus fideliter
Gens omnis et rex credidit.</p> |
| <p>3. Persiae euntes termino
Duce Varadach bellico
Tunc exeunte ad proelium
Responsa pacis proferunt.</p> | <p>7. Qui cuncta dum perambulant
Calcando fana et idola,
Sic frugescentes inclita
Talenta Christo duplicant.</p> |
| <p>4. Pravam duorum tristium
Sectam magorum destruunt
Ac falsa gesta daemonum
Veraci produnt spiritu.</p> | <p>8. Ambobus uno funere
Mors sancta vitam praebuit,
Et, qua magister evocat,
Pergunt pares ad gloriam.</p> |

9. Gloria patri ingenito.

Legend. ms. Mediolanense saec. 13. Cod. Ambrosian. C 125 inf. — 3, 1 Perside (lies: Persidae?). — 8, 1 furore. — 7, 3 frugentes. — 7, 3 sq. und 8, 1 sq. umgestellt.

484. De ss. Simone et Iuda.

- | | |
|---|---|
| 1. Exaltetur istud festum
Et coletur tam honestum
Diesque apostolorum
Et martyrium eorum. | 4. Dezaroen maleficus
Et Arfaxat maledicus,
Qui Persidam foedaverant
Et idolis fundaverant. |
| 2. Hoc est Simonis et Iudae,
Nati ex semine Iudae,
Per eos Christus noscitur
Et vere Deus colitur. | 5. Veneremur ergo cuncti
In hoc festo nos coniuncti,
Ut cum eis gaudeamus,
Deum patrem habeamus. |
| 3. Praedicaverunt Syriam
Totam simulque Persidam,
Propter eorum merita
Sic haeresis est irrita. | 6. Hoc praestet summa trinitas
Simulque una deitas,
Quae vivit in perpetuum
Nunc et per omne saeculum. |

Hymn. ms. S. Petri Mart. Utinen. saec. 16. Cod. Civitat. Utinen. s. n.

485. De ss. Simone et Iuda.

- | | |
|---|--|
| 1. Laudes cuncti concinite
Apostolorum Simonis
Et Iudae, quia coruscant
Horum gesta magnifica. | 5. Praenuntiant apostoli
Duci, si Christum agnoscat,
Advenient in crastinum
Legati bona gerentes. |
| 2. At ingressi regionem
Dum hi fuissent Persides,
Fugos reperiunt magos
Cunctos caecasse idolis. | 6. Tum sexaginta milia
Hominum demptis parvulis,
Exceptis mulieribus
Ac rex baptismum assumunt. |
| 3. Statim ligantur idola,
Responsa dare vetitant,
Mirantur quoque populi
Cum duce atque praefecto. | 7. Illuminant ibi caecos,
Surdis praestant auditum,
Gressum donant claudis,
Credentibus dant miran[da]. |
| 4. Tunc Indi in regionem
Persidem atque Medorum
Bellum grave construxerant
Et hos velle occupare. | 8. Comminuunt simulacrum
Solis et lunae fulgidum,
Concurrunt tunc pontifices
Templi, necant apostolos. |
9. En, miles Christi fidelis,
Abhorrens semper idola,
Martyrii palmam ferens,
Triumphat cum apostolis.

Brev. ms. Ambrosianum saec. 15. Cod. Borgianus M II 20. — 4, 2 et Medorum. — 7, 2 fehlt eine, 7, 3 zwei Silben am Verse.

486. In Inventionē S. Stephani.

Ad Nocturnum.

- | | |
|--|--|
| 1. Christiana religio
Dum suo coepit saeculo,
Quos sibi ipsa peperit,
Pro se pugnandos obtulit. | 5. Septuaginta animas
Tres numero et additas,
Quas tenebat infirmitas,
Invasit statim sanitas. |
| 2. Quorum primipilarius
Levita fuit Stephanus
Proprio suo sanguine
Docens palmam victoriae. | 6. Haec sancta revelatio,
Sacro digna mysterio,
Praesentem facit hanc diem
Per totum mundum celebrem. |
| 3. Cuius tunc corpus abditum
Et posteris incognitum,
Quod subito his patuit,
Languenti mundo profuit. | 7. Inde sancta ecclesia,
Quae constat sine macula,
Pium exoret Dominum,
Nostrum precemur Stephanum. |
| 4. Gamaliel ter visio
Luciano presbytero,
Migetio post adfuit,
Hoc dubium innotuit. | 8. Pro nobis specialiter
Rogemus illum iugiter,
Prout gaudemus meritis,
Foveamur praesidiis. |
| 9. Trino personis Domino,
Usia individuo,
Sicut decet, sit gloria
Nunc et per cuncta saecula. | |

Antiph. et Lect. ms. S. Stephani Frisingen. saec. 11/12. Clm. Monacen. 21585.

487. In Translatione s. Stephani.

In 1. Vesperis.

- | | |
|---|--|
| 1. Gaudet chorus caelestium
Protomartyris gloria,
Psallat turba fidelium
<i>Beata nobis gaudia.</i> | 3. Saulus Iudaeos applicat,
Ut Stephanum lapidibus
Obruant, dum sic dimicat,
<i>Exsultet caelum laudibus.</i> |
| 2. Iudaeis Christum praedicat
Mortis non timens aditum,
Primus naturam duplicat,
<i>Deus, tuorum militum.</i>
Dreves, Hymni Inediti. VII. | 4. Hunc dum lapidant Iudaei
Pro his orans in aethere
Pium videt natum Dei
<i>Iam lucis orto sidere.</i> |

- | | |
|--|--|
| <p>5. Cur, Indaea, seduceris
Cuius victimae pereunt?
Dum gens misera falleris,
<i>Vexilla regis prodeunt.</i></p> | <p>7. Huius ergo nos praecibus
Mole depressos criminum
Supernis iungas civibus,
<i>Iesu, corona virginum.</i></p> |
| <p>6. Castus ut candet Libanus,
Roseus in martyrio,
Pro te succumbit Stephanus,
<i>Iesu, nostra redemptio.</i></p> | <p>8. Praestet hoc nati genitor,
Hoc genitoris genitus,
Tu, par utrique conditor,
<i>Veni, creator spiritus.</i></p> |

Brev. Metense imp. Lugduni 1517. — 4, 2 Pro eis orans. — 6, 1 ut cadat.

488. De sancto Sixto.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Adest triumphus nobilis
Festumque caeli curiae,
Quo rosa delectabilis
Offertur regi gloriae.</p> | <p>4. Sixtus, flos pulchritudinis
Et virtutum sacrarium,
Heres beatitudinis
Trahens post se Laurentium.</p> |
| <p>2. Exsultet claro sidere
Fulgens mater ecclesia,
Sixtus martyr in aethere
Nova profudit gaudia.</p> | <p>5. Roberare cum nititur
Fidem verbi praeconio,
Pro fide tandem caeditur
A paganorum gladio.</p> |
| <p>3. Pius, pudicus, humilis
Christo se totum dedicat,
In lege Dei docilis
Verbis, exemplis praedicat.</p> | <p>6. Detentos a daemonibus
Sanat, morbos languentium,
Curam confert dolentibus,
Magnum salutis gaudium.</p> |

7. Summae Deus clementiae,
Tibi sit laus et gloria,
Da post cursum miseriae
Beata nobis gaudia.

Brev. ms. Kimense (?) saec. 14. Cod. Vindobonen. 1893. — 4, 4 Trahent post se Laureatum. — Der Hymnus zeigt starke Benutzung der geläufigen Hymnen auf Petrus Martyr.

489. De s. Syro Ticiensi.

Ad Vesperas.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Generans lucis filios
Iesus, magister optimus,
Primum misit apostolos,
Quos sequitur discipulus.</p> | <p>2. Syrus praesul hic doctrinam
Diffundit evangelicam,
Per quam normam fert divinam
Et vitam dat angelicam.</p> |
|--|---|

- | | |
|---|---|
| <p>3. Armagoras hunc docuit,
Sub Marco qui profecerat,
Nam Marcum tunc instruxerat
Apostolus, qui praefuit.</p> | <p>4. Congratulatur civitas
Suscipiens antistitem
Ac Ticinensis claritas
Laetatur se superstitem.</p> |
|---|---|
5. Has preces cum gemitibus
Tu, pater Syre, suscipe,
A diri hostis faucibus
Nos tuum gregem eripe.

Collect. ms. Ticinense (?) saec. 15. Cod. Roman. 1300 (Sessor. 343).
A. — Officium Patris Nostri, Sancti Syri, Episcopi Papiensis. Papiæ 1564.
B; daraus bei Prelini, San Siro primo vescovo e patrono della città e diocesi di Pavia, Pavia 1880 I, 68. — I, 2 Iesu. B. — 3, 1 Hermagoræ B.

490. De s. Syro Ticinensi.

Ad Nocturnum.

- | | |
|--|--|
| <p>1. En, pullulat ecclesia,
Bonorum mater omnium,
Cum profert ab infantia
Fide tironem optimum.</p> | <p>4. Currunt cives collaetantes
Et peregrinae patriae
Ad salutem properantes
Cum ostensore gratiae.</p> |
| <p>2. Syrus palmes egreditur
E caelesti plantario,
Novum praesegmen seritur
In Ticinensi oppido.</p> | <p>5. Hic sedulus agricola
Cum vomeribus doctrinae
Firmatus est caelicola
Ierosolymae divinae.</p> |
| <p>3. Germen exsurgit nobile
Repletum aromatibus,
Semen firmatur fragile
Devoti patris precibus.</p> | <p>6. Sulcabat corda ferrea
Sermone veracissimo,
Claudebat ora terrea
Vigore vivacissimo.</p> |
7. Ergo, pater, nos infirmos
Et in mundo deviantes
In patria redde firmos
Cum devotis exclamantes.

Collect. ms. Ticinense (?) saec. 15. Cod. Roman. 1300 (Sessor. 343).

491. De s. Syro Ticinensi.

In Laudibus.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Lauda, mater, gratiosum
Te diligentem Dominum,
Tu, Papia, gloriosum
Ac salvatorem omnium.</p> | <p>2. Ornavit viris optimis
Coronam tuae gloriae
Praeposuitque ceteris
Honorem tuae patriae.</p> |
|---|--|

- | | |
|---|--|
| 3. Syrus, pontifex qui primus
Ducatum fert sequentium,
Sed Inventum non imus
Locus beat viventium. | 7. At eloquens Enodius
Mores describit hominum,
Fecundans suis actibus
Catalogum illustrium. |
| 4. Ursecenus assumitur
Ad veritatis semitam,
Quam etiam exsequitur
Per praecessores proditam. | 8. Alter Crispinus oritur
In praesulari solio,
Quem Damianus sequitur
In spiritali studio. |
| 5. Crispinus, vir mitissimus,
Director Epiphanii,
Cui successit protinus
In gradibus officii. | 9. Theodorus in acie
Cum sanctis pontificibus,
Hieronymus, vas gratiae,
Cum maximis spiritibus. |
| 6. Hunc Maximus ex nomine,
Sed amplior in meritis,
Prosequitur ex munere
Associatus superis. | 10. Pro successore humili
Coetus oret hic supernus,
Decedens mundo fragili
Ut salvetur Gulielmus. |
| 11. Salutarem Papiensi
Vitam poscant civitati
Ac favorem Ticinensi
Dent honorem trinitati. | |

Collect. ms. Ticinense (?) saec. 15. Cod. Roman. 1300 (Sessor. 343).
A. — Officium Patris Nostri, sancti Syri, Episcopi Papiensis, Papiæ 1564.
B; daraus Prelini l. c. p. 71. — 10, 4 Guilidinus A; der Bischof Gulielmus,
für den hier gebetet wird, und der wohl als Verfasser der Hymnen gelten
darf, scheint Guilelmus Centuria O. S. F. 1386—1402 zu sein; einen Bischof
Guilidinus finde ich in der Bischofsliste von Pavia nicht.

492. De s. Syro Ticinensi.

In 2. Vesperis.

- | | |
|---|--|
| 1. Secus Christum, cum ad istum
Extemplo vox pervenerat,
Syrus sitit, mundum mittit,
<i>Iam Christus astra ascenderat.</i> | 3. Ima pandit, alta scandit
In sanctorum collegia,
Culpas lavat, unde parat
<i>Beata nobis gaudia.</i> |
| 2. Gaudet solum, petit polum
Pro munere pontificis,
Prodit fraudem, donat laudem
<i>Secum sanctorum meritis.</i> | 4. Surgit turbo, saevit mucro
Fideles persequentium,
Caedit hostis, exstat fortis,
<i>Deus, tuorum militum.</i> |

- | | |
|--|--|
| <p>5. Monet pura, scit futura
Sicut propheta praesciens,
Fugit metus audit coetus,
<i>Verbum supernum prodiens.</i></p> | <p>7. Sanat morbos, aptat torvos,
Devota fit ostensio,
Orant sani, dicunt cani:
<i>Iesu, nostra redemptio.</i></p> |
| <p>6. Mutat sortes, purgat sordes
Virorum delinquentium,
Umbra caret, cunctis claret,
<i>Iesu, lux vera mentium.</i></p> | <p>8. Quis non credit, cum accedit
Videndo mirabilia,
Errans redit, nox recedit,
<i>Lux, ecce, surgit aurea.</i></p> |
9. Unde, praeses, duc ad aedes
Paratos iam divinitus;
Vocem demus, nos clamemus:
Veni, creator spiritus.

Collect. ms. Ticinense (?) saec. 15. Cod. Roman. 1300 (Sessor. 343).

493. De sancto Theodoro.

Ad Vesp. et Noct.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Exsultet mentis iubilo
Sacer chorus fidelium,
Nam martyris sollemnia
Anni reduxit orbita.</p> | <p>4. Suspensus in patibulo,
Dilaniatus corpore,
Nihil sentit supplicia,
Sed benedicit Dominum.</p> |
| <p>2. Hic minas spernit iudicum
Tormenta nihil metuens,
Hic et pro Christi gloria
Combussit templa daemonis.</p> | <p>5. Huius tu sanctis precibus
Exstingue carnis vitia,
Qui pro te, rex piissime,
Ignis vicit incendia.</p> |
| <p>3. Hunc Christus praesens visitat
Oscuro clausum carcere,
Caelesti cibatur pabulo,
Chorus adest angelicus.</p> | <p>6. Laus, honor, virtus, gloria
Deo patri et filio
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.</p> |

Officia sanctorum patronorum ecclesiae Brundusinae. Romae 1583.

494. De sancto Theodoro.

Ad Laudes.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Magnae dies laetitiae
Nobis illuxit hodie,
Qua Christi martyr inclitus
Ascendit ad caelestia.</p> | <p>2. Pro Christi fide pertulit
Dira poenarum genera,
Pro quibus in caelestibus
Vitam perennem possidet.</p> |
|---|--|

- | | |
|--|---|
| 3. Gaude, felix Brundusium,
Huius ditatum corpore,
Cuius tu patrocinio
Hostis non times iacula. | 4. Praesta, pater piissime,
Ut huius sancti meritis
A cunctis solvens noxiis
Nos iungas sanctis civibus. |
|--|---|

5. Deo patri sit gloria.

Officia sanctorum patronorum ecclesiae Brundusinae. Romae 1583.

495. De s. Thoma Aquinate.

In Laudibus.

- | | |
|--|---|
| 1. Ortum, vitam et exitum
Sancti Thomae prodigia
Comitantur, quae meritum
Monstrant ad caeli praemia. | 3. Innotuit oraculo,
Gloria quanta praeminet,
Quem praemiorum cumulo
Seraphin ordo continet. |
| 2. Augustinus in gloria
Hunc sibi parem praedicat,
Sed Thomam castimonia,
Se mitra plus dignificat. | 4. Ad Christum pro laboribus
Dum migrat doctor populi,
Migrantis tacti pedibus
Illuminantur oculi. |

5. Sit patri laus ac genito
Simulque sancto flamine,
Qui sancti Thomae merito
Nos caeli iungant agmini.

Legend. ms. Laurentii Odonis Lincopen. saec. 14/15. Cod. Dresden. A 182. A. — Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. B. — Psalt. et hymn. ms. S. Katharinae Divoduren. saec. 15. Cod. Vatican. s. n. (ol. 121 4^o) C. — 3, 4 In Seraphim B. — 4, 3 Migranti B. — 5, 1 Laus patri sit B.

496. De s. Thoma Aquinate.

- | | |
|--|--|
| 1. Pange, lingua, gloriosi
Dogmatis mysterium
Et Aquini pretiosi,
Quem in lucem gentium
Instar solis radiosi
Rex accendit gentium. | 3. Nam cum sacrae corpus cenae
Descripsisset fratribus
Panis, vini substans plene
Solis accidentibus:
De me, Thoma, scriptum bene,
Crux afflavit auribus. |
| 2. Nostro datus, nostro natus
Thomas est in ordine
Et in scholis conservatus
Sparso verbi semine,
Sui palmam doctoratus
Miro tulit omine. | 4. Verbo vitae Verbum verum
Thomas semper efficit,
Eius stylus dulce merum
Nec a fide deficit,
Ad docendum cor sincerum
Solutus Thomas sufficit. |

- | | |
|---|--|
| <p>5. Tantum ergo nos portentum
Veneremur cernui
Et Aquini documentum,
Nostro dispar sensui,
Praestet nostrae supplementum
Virtutis defectui.</p> | <p>6. Genitori genitoque
Laus et iubilatio,
Procedenti ab utroque
Compar benedictio,
Aquinatīs scriptis quoque
Sua sit laudatio.</p> |
|---|--|

Il Rosario, Memorie Domenicane 1901. Nr. 1. Apr. e Codice bibl. comun. Bordeaux Nr. 77? = Brev. Dominic.

497. De sancto Tito.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Legenti Tito dogmata
Homeri atque Socratis
Data est admonitio,
Quod non prodest haec lectio.</p> <p>2. Facto Cretae consilio
A primis magnis insulae
Titus, nepos proconsulis,
Mittitur Ierosolymam.</p> <p>3. Cum Christus esset in mundo,
Missus est Titus ad eum,
Ut disceret, quae viderit
Ipsum docentem alios.</p> | <p>4. Ierosolymae studio
Prae anno est sanctus Titus
Ante ascensum Domini
Et post binos quinquennio</p> <p>5. Iam misso in apostolos
Sancto vero paraclito
Iuxta promissum Domini
Dei, Christi altissimi.</p> <p>6. Honor, decus et gloria
Sit patri atque filio,
Almo quoque spiritui
Per infinita saecula.</p> |
|--|--|

Psalt. et hymn. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Civitaten. LXXIII. — 5. 3
Iuxta missum.

498. De sancto Tito.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Discipulorum numero
Adiunctus est sanctus Titus,
Igneis linguis Domini
Quos spiritus repleverat.</p> <p>2. Effuso protomartyris
Sanguine sancti Stephani
Disperguntur apostoli
Propter timorem gentium.</p> <p>3. Converso sancto Paulo
Divina fit collatio,
Iterum Ierosolymam
Revertuntur apostoli.</p> <p>4. Fit sacer Titus pontifex
Et a summis apostolis
Consecraturus mittitur,
Quos Paulus appro[ba]verit.</p> | <p>5. Qui iussu Dei filii
Simul cum Paulo applicuit
Terraē Iovis et insulis
Verum Deum annuntians.</p> <p>6. Congaudet Cretae populus
Simul atque Rutilius,
De reditu apostoli
Sanxerunt festum fieri.</p> <p>7. Iussu tui apostoli
Templum Dianae corruit,
Repente factum pulvis est,
Ut sanctus iam praedixerat.</p> <p>8. Gloria patri Domino,
Nato atque paraclito
Et nunc et in perpetuum
Sit trinitati unicae.</p> |
|--|--|

Psalt. et hymn. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Civitat. LXXIII. — 6, 2
atque Rutilus.

499. De sancto Tito.

- | | |
|---|--|
| 1. Creteus Titus regia
Prole descendit Minoa,
Christi fuit apostolus
Paulique fuit socius. | 4. Confixa Cretae insulae
Tanti patris deposita,
Cuius se credit munere
Vitam beatam consequi. |
| 2. Ipse Titus apostolus
Per civitates consecrat
Pontifices, presbyteros,
Diacones et clericos. | 5. Cuius corpus metropolis
Cortina tenet inclitum,
Secura tanto principe
Christi videre faciem. |
| 3. Qui plebem sacram instruunt
Sermonibus et opere,
Orthodoxis mysteria
Ministrent iam catholicis. | 6. Virtus quoque imperium
Sit patri atque genito,
Sancto simul paraclito
In saeculorum saecula. |

Brev. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Archiep. Utinen. Oct. 10. A. — Psalt. et hymn. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Civit. LXXIIIB. — Brev. ms. Civitatense 1467. Cod. Civitaten. LXXIV. (28). C. — Antiph. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Civitaten. LXIV. D. — 3. 4 catholici A. — 4, 1 Confixa A. — 4, 2 disposita B C.

500. De sancto Tresano.

Ad Vesperas.

- | | |
|---|---|
| 1. Scandat polorum sidera
Psallentium concordia
Et pectorum devotio
Deum sibi conciliet. | 4. Accinxit illum castitas,
Compsit fideles puritas,
Mentisque sanctimonia
Deo placentem reddidit. |
| 2. Adest dies propitia
Sancti Tresani meritis,
Quam dedicavit inclitus
Regni petens caelestia. | 5. Verus sacerdos tempore
Hic in suo resplenduit,
Ardore santi spiritus
Fragrans in ara pectoris. |
| 3. Quem tanta continentia
Vigorque vitae vinxerat,
Ut vix famem depellere
Potus esset et epulae. | 6. Cuius frequens subventio
Fit reorum remissio,
Ut poenarum incendia
Nostras non urant animas. |
| 7. Laus, honor, virtus, gloria
Deo patri et filio,
Sancto simul paraclito
In sempiterna saecula. | |

Officium ss. Tresani, Gumberti et sanctae Berthae imp. Rhemis 1557. — Nach Strophe 4 „Divisio“.

501. De sancta Ulphia.

Ad 2. Vesperas.

- | | |
|---|--|
| 1. Pange, lingua, gloriosae
Ulphiae praeconia,
Dic virginis generosae
Virtutes et proelia,
Quot zelo pudicitiae
Fecit, tulit fortia. | 4. Tam nobilem post triumphum,
Virgo fortis Ulphia,
Times adhuc periculum
Et procul a patria
Crucis amplexa vexillum
Loca quaeris invia. |
| 2. In primaeva iuventute
Donis florens Ulphia,
Summa flagrans caritate
Christo se dat impigra
Et promissa semel fide
Non recedit postea. | 5. Inter silvarum latebras
Vitam ducis caelicam,
Immitis carnem cruentas
Et torques innoxiam,
Nos, qui tot meremur poenas,
Vix precamur veniam. |
| 3. Divae cor intemeratum
Horrens saeculi nuptias,
Minas despicit parentum,
Despicit et lacrimas,
Corpus caedit delicatum,
Preces addit fervidas. | 6. Sit perennis laus parenti,
Sit perennis filio,
Ab utroque procedenti
Sit aequa paraclito,
Per quem virtus in imbelli
Tanto fulsit animo. |

[Lorriquet-Sellier], Nouvelle Vie de sainte Ulphe, vierge patronesse de l'église d'Amiens. Amiens, 1841. p. 239. Ohne Angabe einer Quelle.

502. De sancto Ursino.

Ad Matutinum.

- | | |
|--|--|
| 1. O quam dignis celebrandus
Dies iste gaudiis,
Et quam dignis venerandus
Ursinus praeconiis,
Non fraudatus nec frandandus
Socii obsequiis. | 3. Multis missis post et ante
Praedicare veniam
Hoc Ursinus commendante
Deposeit Bituriam,
Solo Iusto comitante
Iussam subit patriam. |
| 2. Clemens quidam Petri more
Nomen Christi praedicat,
Tantae messis paucos fore
Messores significat.
Praedicendo cum labore
Discipulis indicat. | 4. Hic Ursino praedicante
Clementis imperio
Iustus Deo permittente
Recessit de medio,
Solum urbe iam absente
Nono miliaria. |

5. Conturbatus casu mortis
 Ursinus tam subitae,
 Sed in fide Christi fortis
 Licet absque comite
 Patefactis urbis portis
 Intravit sollicite.

6. Gloria et honor Deo
 Usquequo altissimo,
 Una patri filioque,
 Inclito paraclito,
 Cui laus est et potestas
 Per immensa saecula.

Brev. Bituricense imp. Lemovicis 1512.

503. De sancto Ursino.

In Laudibus.

1. Exsulemus et laetemur
 Organis cantantibus,
 Congaudentes gratulemur
 Ursino cum laudibus
 Et constantem admiremur
 Hunc in suis casibus.

4. Ab errore revocatae
 Sancto praedicamine
 Multae gentes inspiratae
 Divino spiramine,
 Per Ursinum baptizatae
 Sunt in Christi nomine.

2. Christum docet adorandum
 Qui vivit per saecula;
 Ad Ursinum blasphemandum
 Currit gens incredula,
 Canes ad hunc effugandum
 Solvuntur a copula.

5. Ab errore revocato
 Fere cuncto populo,
 Ipso rege baptizato
 Cum lusore parvulo,
 Cursu vitae consummato
 Migravit a saeculo.

3. A gentibus fere pressus
 Fugit hic perterritus,
 Sed ad urbem est regressus
 Ad angeli monitus,
 Christi servum se professus
 Legis docet aditus.

6. Gloria et honor Deo
 Usquequo altissimo,
 Una patri filioque
 Inclito paraclito,
 Cui laus est et potestas
 Per immensa saecula.

Brev. Bituricense imp. Lemovicis 1512. — 1, 3 Congaudemus. — 1, 5 admirantes. — 3, 3 est reversus. — 4, 1 revocatus. — 4. 3 inspirante.

504. De sancta Ursino.

In 2. Vesperis.

1. Ad honorem Salvatoris
 Laetetur Bituria,
 Pangat sancti confessoris
 Ursini praeconia,
 Per quem gentilis erroris
 Recessit spurcitia.

2. Nathanael nominatus
 Non inunctus chrismate,
 Post Ursinus est vocatus
 Assumpto baptisate,
 Christi verbis attestatus
 Verus absque schismate.

- | | |
|---|---|
| 3. O quam felix sanctus iste
Et dignus praeconio,
Cui cenae tuae, Christe,
Deputata lectio,
Cuius pectus mulcet triste
Visa resurrectio. | 5. Demum lingua bispartita
Cum ceteris loquitur,
Praedicando verbo, vita
Stephanum subsequitur,
Donec [hic] Israelita
Plebe saxis teritur. |
| 4. Christum vidit ascendentem
Consternatus animo
Spiritusque descendentem
Die quinquagesimo,
Praesentes et se replentem
Sensu ferventissimo. | 6. Gloria et honor Deo
Usquequo altissimo,
Una patri filioque
Inclito paraclito,
Cui laus est et potestas
Per immensa saecula. |

Brev. Bituricense imp. Lemovicis 1512. — 3, 4 Deputata est. — 4, 5 repletum.

505. De sancto Ursmaro.

- | | |
|--|--|
| 1. Ave, casta Christi sponsa,
O mater ecclesia,
Ave, Deo praelecta
Ante cuncta saecula,
Ave, sancto praesignata
Spiritu per tempora. | 5. Ei nam senex per visum
Offerebat puerum
Et ad illum nutriendum
Panem simul candidum;
Hunc, inquit, ad educandum
Panem sume filium. |
| 2. Benedicta sponsi dote
Prolis multitudine,
Nuptiarum compta, gaude,
Numeroso germine,
Milies fecunda mille
Filiorum agmine. | 6. Filium, inquam, materna
Ferunt quem praecordia,
Ad hoc generari diva
Providet potentia,
Quo sibi perplures ista
Lucretur in patria. |
| 3. Civibus ornas caelestem
Electis Ierusalem,
Inter quos bonum pastorem
Ursmarum pontificem
Collocas velut nitentem
Et politum lapidem. | 7. Gravata rursus sopore
Cernit in oromate
Filium innixum scalae
Caeli celsa scandere,
Quem sequi quidem valebat,
Consequi non poterat. |
| 4. Dono quem mater superno
Nostro datum saeculo
Agnovit laeta responso
Nasciturum caelico,
Necdum licet e materno
Fusum nosset utero. | 8. His felix parens de nato
Certa facta proprio,
Postquam hunc praecordiali
Est enixa viscere,
Adultum tradit sacratis
Instruentum literis. |

9. Iuvenis quidem aetate,
Grandaevus sed moribus
Summa meritorum sparsim
Clarescens uberius
Donari gradatim sacris
Meretur ordinibus.
10. Karitatis hinc virtute
Circumfultus geminae,
Infulatus pastorali
Additus est cathedrae,
Temperatus aequitate,
Iustus fortitudine.
11. Longanimitate vicens,
In adversis patiens
Nec absque tortore saevo;
Quis fuit aliquando,
Qui tali tantumque diro
Sit passus martyrio?
12. Maxime cum novem annis
Decem hebdomadibus
Vixerit cibo contentus
Hoc, quod sine dentibus
Ab ipso sorberi parvus
Valeret et modicus.
13. Nisibus e contra votis
Iob aequandus meritis
In his omnibus adversis
Non peccavit labiis
Laudes rependens immensas,
Dum tulit adversitas.
14. O virum laudandum claro
Virtutum praeconio
Et in sanctimoniale
Liberata daemone
Et percussa tunc bacello
Sanata continuo.
15. Peste pervasam cruenta,
Vocata gutteria,
Medicatus est et neptem
Reddens eam sospitem,
Aegrotam signatam cruce
Dedit convalescere.
16. Qui cernens iam se senili
Corpore destitui,
Subiectos de successore
Volens cautos reddere
Electum nutu cunctorum
Subrogavit Erminum.
17. Rex regum iam te superna
Vocat ad palatia,
Angelorum tibi coetus
Sanctorum fit obviis;
Laetare, nam paradisus
Patet amoenissimus.
18. Salve, noster o patrone,
Salve, praesul optime,
Salve cum sanctis, Ursmare,
Salve, pastor inclite,
Salve, iam cum Christo regnans,
Salve, nostri memorans.
19. Te supplex rogat pusillus
Fusa prece grex tuus,
Inter haec ut festa clerus
Salvetur et populus,
Tuorum simul devota
Monachorum turmula.
20. Ueniam poscendo nostris
Assiste piaculis,
Tua nos pastori summo
Commendet oratio
Foedatos et culpae naevo
Solvat interventio.
21. Xriste, sanctorum corona
Omnium splendida,
Confessorum gloriosa
Virtus et magnifica,
Salva nos tui beata
Ursuari per merita.
22. Ymnum gestit tibi nostra
Dicere catervula
Ipsius amore ducta
Laude vel melodia,
Acceptare quem benigna
Digneris clementia.

23. Zeloti Deo decora
 Laus sit et hymnidica
 Et tibi, propago prima,
 Patris proles unica,
 Flaminique sancto summa
 Assit simul gloria.

Collectan. ms. S. Vitoni Viridunensis saec. 11. Cod. Viridunen. 77. —
 6, 1 Filius. — 17, 6 Latet. —

506. De sancta Ursula.

- | | |
|--|---|
| 1. Virginalis praeconium
Collaudet plebs fidelium
Voces et cantus omnium
<i>Audi redemptor gentium.</i> | 5. Replentur Dei famulae
Donis aeterni spiritus,
Quas decorat mirifice
<i>A patre unigenitus.</i> |
| 2. Virgo regalis Ursula
Mundum spreuit cum vitiis,
Te sequendo per saecula,
<i>Consors paterni luminis.</i> | 6. Puellarum collegia
Ducis ad caeli solium,
In quo degustant dulcia,
<i>Iesu, corona virginum.</i> |
| 3. Haec namque regis filia
Pro te complet martyrium,
Quam rapis ad caelestia
<i>Rex Christe, factor omnium.</i> | 7. In earum memoria
Laudes extollat populus,
Collaetetur ecclesia,
<i>Exsultet caelum laudibus.</i> |
| 4. Sequuntur ipsam virginem
Undenae mille virgines,
Pro te fundentes sanguinem,
<i>Christe, qui lux es et dies.</i> | 8. O dulce mundi pretium
Per virginum suffragia
Praesta post hoc exsilium
<i>Beata nobis gaudia.</i> |

Brev. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Archiep. Utinen. Oct. 10. A. —
 Hymn. ms. Mosacense saec. 14. Cod. Archiep. Utinen. Fol. 21. B. — Psalt.
 et hymn. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Civitaten. LXXIII. C. — Psalt. et
 hymn. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Civitaten. LXXII. D. — Psalt. et
 hymn. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Civitaten. LXIX. E. — Brev. ms.
 Civitatense anni 1476 Cod. Civitaten. LXXIV. (28) F. 1, 2 Laudet turba
 fidelium A. — 1, 3 Voces te collaudantium A. — 3, 4 Rex atque factor
 B. — 4, 1 Ipsam sequuntur A. — 8, 2 Per earum suffragia A. — 8, 3
 Da nobis post exsilium A. — 8, 4 Aeterna Christi gaudia A.

507. De sancta Ursula.

Ad Vesperas.

- | | |
|--|---|
| 1. Christus, Dei filius,
Summi patris unicus,
Alvum intrans virginis
Naevum delens hominis, | 3. Undenorum milium
Coetus sacer martyrum,
Te cum sanctis omnibus
Laudat in caelestibus. |
| 2. Agnus mitis, candidus,
Sponsus perpes virginum,
Per harum suffragia
Mundi tolle crimina. | 4. En, dulci memoria
Virginum martyria
Die hac recolimus,
Qua scandunt in aethera. |
5. Custos dulcis virginum,
Sponsus, rex perpetuus
Nos earum meritis
Summis donet praemiis.

Brev. ms. Romarici Montis saec. 16. Cod. Spinalien. 164 (77). A. —
Hymnar. ms. Romarici Montis saec. 15. Cod. Spinalien. 194 (86). B. —
1, 4 Venum delens B; lies Noxam? — 4, 1 In dulci A.

508. De sancta Ursula.

Ad Matutinum.

- | | |
|---|--|
| 1. Hymnum nunc dulcissimum
Canat chorus omnium,
Psallat cum virginibus
Omnis Deo spiritus. | 3. Quarum iugi merito
Nobis fer auxilium,
Aegris opem, languidis
Sospitatis gaudium. |
| 2. O rex regum Domine,
Mundo sis propitius,
Piis auge meritum
Earum obtentibus. | 4. Iustis confer gloriam,
Peccatorum veniam,
Cunctis postulantibus
Aurem praebe placidus. |
5. Da, redemptor piissime,
Quod tuo emptos sanguine
Nos virginum haec milia
Ad caeli ducant gaudia.

Brev. ms. Romarici Montis saec. 16. Cod. Spinalien. 164 (77). A. —
Hymnar. ms. Romarici Montis saec. 15. Cod. Spinalien. 194 (86). B. —
1, 1 nunc fehlt A. — 2, 3 meritis A.

509. De sancta Venera.

In 1. Vesperis.

- | | |
|------------------------------|-----------------------------|
| 1. <i>Fidelium devotio</i> | 2. Adinatrix fit precantium |
| Celebret pro martyrio | Prolem desiderantium, |
| Sanctae virginis Venerae, | Nam data est parentibus |
| Quae nunc gaudet in aethere. | Pro prole deprecantibus. |
3. *Iesu, corona virginum,*
 Qui natus es de virgine,
 Semper non habens terminum,
 Gloria tibi, Domine.

Collect. ms. S. Petri Vivi Senonensis anni 1293. Cod. Parisin. Nouv. acq. 311. — Aus eben dieser Quelle in: Iuillot, Gust. et Prou, Maur.: „Goffroy de Courlon, Le livre des Reliques de l'abbaye de Saint-Pierre-le-Vif de Sens.“ Sens 1887, p. 103. Der Hymnus ist hier irrtümlich in zwei Strophen zu 6 Zeilen abgeteilt.

510. De sancta Venera.

In Laudibus.

- | | |
|---------------------------|---------------------------|
| 1. Deus, qui inter cetera | 2. Tuae virgini Venerae |
| Miraculorum opera | Voluisti tribuere |
| Fragilem fortem efficis, | Martyrii victoriam |
| Mirum opus opificis, | Et post tormenta gloriam. |
3. *Iesu, corona virginum,*
 Qui natus es de virgine,
 Semper et extra terminum
 Gloria tibi, Domine.

Collect. ms. S. Petri Vivi Senonensis anni 1293. Cod. Parisin. Nouv. acq. 311 — Aus gleicher Quelle: Iuillot — Prou, l. c. Der erste Teil der Hs., „Libellus editus super reliquiis sanctorum et sanctarum quae in monasterio S. Petri Viri Senonensis continentur . . . et de fundatione dicti monasterii“ hat zum Verfasser „Fratr Gaufridus, dictus de Collone, huius loci monachus et sacerdos indignus“ (fol. 33 b). Das nachfolgende Officium von anderer Hand.

511. De s. Venerio Eremita.

- | | |
|--------------------------|----------------------------|
| 1. Deus, creator omnium, | 2. Per cuius sancta merita |
| Custos tuorum militum, | Tria resurgunt corpora, |
| Qui beatum Venerium | Quorum in maris litore |
| Tuum fecisti famulum. | Invenerat cadavera. |

- | | |
|---|--|
| 3. Ibi draco quam pessimus
Inter cavernas montium
Latebat ad exitium
Christianorum omnium. | 8. Post clamores hominum
Statim relinquit Tirum,
Clam venit ad Tirelium
In alto mare positum. |
| 4. Per Lazarum episcopum
Preces funduntur omnium,
Ut a tali periculo
Canensem salvet populum. | 9. Ibi, redemptor omnium,
Per corvum, tuum nuntium,
Carne taurorum pinguium
Pavisti tuum famulum. |
| 5. Cuius preces exaudiens
Prope speluncam veniens:
O fera immanissima,
Linque montis cacumina. | 10. Deinde Dei famulus
Corripitur a febribus,
Vocatur ad consortium
Beatorum spirituum. |
| 6. Per crucifixi merita
Alta profundi penetra,
Ut a tua perfidia
Tota purgetur patria. | 11. Sepultus a fidelibus
Cum canticis et laudibus,
Ubi post breve spatium
Coepit manare oleum. |
| 7. Cuius voces et carmina
Fera intendens bestia,
Frangens montis cacumina
Tenet abyssi limina. | 12. Infirmitatum genera
Omnia curans corpora,
Nunc semper et per omnia,
Per infinita saecula. |

Collectan. ms. (Acta SS. ms. Sept. et Oct.) Constant. Caietani saec. 17.
Cod. Alexandrin. 95. — 1, 4 Tuum fehlt. — 8, 1 sq. fehlt je eine Silbe.

512. De sancta Victoria.

- | | |
|--|---|
| 1. Virgo Christi, Victoria,
Balneoregis gloria
Sisque nostra memoria
Coram Christo per omnia. | 5. Sed draco cunctis saevior,
Draconibus sublimior,
Taetro veneno nigrrior,
Morabatur interior. |
| 2. Huius mundi sublimia
Sprevit delectabilia,
Credens invisibilia,
Sequens Christi vestigia. | 6. Virgo signata pariter
Signo crucis perenniter
Sibi praecepit fortiter,
Quo pergeret suaviter. |
| 3. Relicta viro penitus
Et docta virgo caelitus
Divino nutu credimus
His immorari sedibus. | 7. Voce cuius perterritus
Timens mortis interitus
Inde fugit celerius,
Nunquam visus ulterius. |
| 4. Est Triculana civitas,
Ubi multa sublimitas,
Populorum fertilitas
Eratque tunc utilitas. | 8. Virginum chorus venerat,
Cum virgine qui steterat,
Quibus doctrinam dederat,
Unde pestem reiecerat. |

9. O Calimere Ianio,
Tuo necasti gladio
Victoriam nefario,
Caeli regnat palatio.

10. Balneoregis inclita,
Multo decore nitida,
In te sunt cara merita
Victoriae recondita.

11. Sit laus patri et filio
Spiritu mellifluo,
Qui regnat in hoc saeculo
[Et in caelis] perpetuo.

Brev. ms. Franciscano-Romanum saec. 14. in. add. saec. 14. Cod. Vatic. 10000. — 2, 2 Splevit. — 3. 1 Lies Relicto?

513. De ss. Vincentio et Anastasio.

1. Festus sacratus martyr
Dies duorum inclitum,
Deo dicatus sanguine,
Nobis refulsit hodie.

6. Agnoscit hinc Vincentius
Adesse, quod speraverat,
Tanti laboris praemium
Christi decorem luminis.

2. Devota quorum anima
Contempsit mundi falcrum
Superna petens culmina,
Trahuntur ad martyrrium.

7. Exceptus namque carcere
Ardore solis sistitur,
Aequore mersus remiges
Portum praevenit litoris.

3. Hinc inde iudex saeviens
Poenam minatur asperam,
Levitam punit capite
Benignum sacri ordinis.

8. Rursus dimersus latice,
Obsequens lympa patuit,
Suamque petens ut probam
Fessis devenit artubus.

4. Demum tunc Vincentium
Poenis affectum validis
Flagris adusta latera
Diro retrudit carcere.

9. Nec immemor praesul ordinis
Altaris sacri munera
Oblata Deo pignora
Refovitis sancta dextera.

5. Nam carceralis caecitas
Splendorem lucis fulgorat,
Duplexque morsus stipitis
Ruptis cavernis dissilit.

10. Sicque migrans e corpore
Caelum pervenit spiritus
Cum Christo semper florida
Regnaturus per saecula.

11. Horum sanctorum merita
Nobis implorent veniam
Ipso favente sedule,
Mortis qui solvit vincula.

Hymn. ms. Beneventan. saec. 10. ex. Cod. Ottob. 145. — 2, 4 Traantur. — 6, 1 Agnoscat. — 6, 4 Christo.

514. De sancto Vincentio.

Ad Vesperas.

- | | |
|--|---|
| 1. Novis laudes praeconis
Decantet nunc ecclesia,
In martyris victoria
Digna colens sollemnia. | 5. Corpus commissum Domino
Non audet quisquam tangere,
Lupum corvus repudians
Signum demonstrat gratiae. |
| 2. Carnis vincens illecebras
Vincentius viriliter
Flagella cuncta corporis
Sustinuit alacriter. | 6. Terrores nostros vincere,
Christicola, divinitus,
Qui nunc caelesti gloria
Tuus exsultat spiritus. |
| 3. Ignitam pyram non timet
Impositus craticula,
Quem spiritus paraclitus
Sua fovebat gratia. | 7. Sancte Vincenti, quaesumus,
Absolve nostra vincula,
Ut mereamur liberi
Tecum esse in gloria. |
| 4. Dacianus attonitus
Videns tam mirabilia,
Tamen maligni spiritus
Non deserit obsequia. | 8. Sit trinitati gloria,
Honor, virtus, victoria,
Quae dat coronam martyri
In saeculorum saecula. |

Hymn. ms. S Petri Martyris Utinen. saec. 16. Cod. Civit. Utinen. s.
n. — 5, 4 demonstrant. — 6, 2 Christicole.

515. De sancto Vincentio.

Ad Nocturnum.

- | | |
|--|--|
| 1. Pia mater ecclesia,
Magnis attolle laudibus
Regnantem cum victoria
Victis mundi erroribus. | 4. Pro fide stat intrepidus
Multa passus ludibria,
Pro qua sic ardens fervidus
Carbonum fert succendia. |
| 2. Doctrina pollens gemina
Christi miles Vincentius
Dat sancti verbi semina,
Quo pugnat sic ardentius. | 5. Crate distentus ferrea
Tyrannum risit impium,
Foris labuntur viscera,
Nec tamen fert spendium. |
| 3. Dirum responsis iudicem
Pius miles adgreditur,
Spei conscendens apicem,
Qua caelum iam complectitur. | 6. Praesta, beata trinitas,
Ut eius precaminibus
Nobis detur amoenitas
Cum supernis agminibus. |

Hymn. ms. S. Petri Martyris Utinen. saec. 16. Cod. Civit. Utinen. s.
n. — 1, 4 Vinctis. — 5, 2 Tyrannum passit. — 6, 2 Ut ficaminibus.

516. De sancto Vincentio.

Ad Laudes.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Athleta stat immobilis
Torquentis ridens furiam,
Nec mens terretur nobilis
Ad caeli spirans curiam.</p> <p>2. Cuncta vincens supplicia,
Armis praecinctus bellicis,
Transcendit ad felicia
Cum canticis angelicis.</p> <p>3. Exutus derelinquitur
Devorandus a bestiis,
Sed ab illis defenditur
Custodiis angelicis.</p> | <p>4. Tyrannus hunc in flumina
Sanctum demergi praecipit,
Sed mare recto tramite
Corpus ad litus proicit.</p> <p>5. Fideles ossa colligunt
Magno referti gaudio,
Cum honore sepeliunt
Ingenti cum tripudio.</p> <p>6. Praesta, beata trinitas,
Ut eius precaminibus
Nobis detur amoenitas
Cum superis agminibus.</p> |
|--|--|

Hymn. ms. S. Petri Mart. Utinen. saec. 16. Cod. Civit. Utinen. s. n. —
1, 3 Nec omnes teratur nobilis. — 4, 2 demergit. — 5, 1 ostra colligunt. —
6, 2 wie oben.

517. De sancto Vincentio.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Levitae iam Vincentii
Martyrisque laudabilis
Instat triumphus nobilis,
Dignis colamus mentibus.</p> <p>2. Hunc Dacianus perfidus
Aggressus est agonibus,
Sed proelior inclitus
Bellans vicit viriliter.</p> <p>3. Flagella nam saevissima,
Eculei suspendia,
Adustiones ignium,
Tempsit pro Christi gloria.</p> <p>4. Quem miles imperterritus
Ut promptus in certamina
Inter manus carnificum
Suum clamabat Dominum.</p> | <p>5. Ast hinc caterva ethnica,
Diris succensa furiis,
Omne genus supplicii
Concessit in Vincentium.</p> <p>6. Stupet tyrannus fervidus,
Quod non valebat vincere,
Iubet cadaver lacerum
Feris iactari trucibus.</p> <p>7. Nempe corax excubias
Impendens adest ilico,
Quo aves arcet ceteras
Ab eius sancto corpore.</p> <p>8. Nec non inter aequorea
Mirabilis enituit,
Unde inlaesus exiit
Divino quippe remige.</p> |
|---|---|

9. Vincenti, martyr optime,
Ora pro nobis iugiter,
Ut laudes dignos Domino
Reddamus omni tempore.

Hymn. ms. Beneventan. saec. 10. ex. Cod. Vatic. Ottob. 145. — 1, 1
Levita vir Vincentii. — 6, 3 cadaver. — 7, 2 Impendes. — 7, 3 Quo auf
miris (darüber re) ceteras. — 8, 2 Mirabilem.

518. De ss. Vincentio, Sabina et Christeta.

Ad Vesp. et Laud.

- | | |
|--|---|
| 1. O lux et decus Abulae,
Vincenti cum sororibus,
Qui Daciano praeside
Pro Christi fide passus es. | 4. Cineres, ossa et sanguinem
Abula felix obtinet,
Ob quorum patrocinium
Feliciter transibimus. |
| 2. En, Lusitanus iuvenis,
Qui decoravit Eboram,
Vita illustravit Abulam
In morte cum sororibus. | 5. Spernentes mundi gaudia
Tormentaue supplicium
Adepti sunt caelestia
Caeleste natalitium. |
| 3. Sed is, qui victor obiit
Crudelem mortem patiens,
Fortes sorores habuit
Victoriae participes. | 6. Sequamur ergo semitas
Eorum, qui in vestigium
Alacriter supplicia
Necemque iam perpassi sunt. |
| 7. Sit patri, nato, flamini
Decus, honor et gloria,
Commendent semper numini
Sanctorum nos suffragia. | |

Prop. ms. Abulense saec. 17. Cod. Vatican. 6305.

519. De sancto Vito.

- | | |
|---|---|
| 1. Canamus omnes nobilem
Viti triumphum martyris,
Tonantis et pro gloria
Eius sonent ad horrea. | 5. Dehinc nefandi principis
Curavit a daemonico
Diu vexatum spiritu
Dioeletiani natum. |
| 2. Contempsit aras daemonum
Libare sacrificium
Mundique vana respuens
Christum fatetur firmiter. | 6. Reclusus item carceri
In ollamque [im]mittitur
Ferventem, hic nil laeditur
Hymnum canens altissimo. |
| 3. Ilax pater exhortatur
Vitum Christum relinquere,
Iubet tyrannus adduci
Eundem ante tribunal. | 7. Leoni datur vorandus,
Sed hic sibi mansuescit
Pedes lingendo omnibus,
Ex hoc tyrannus vexatur. |
| 4. Tormenta dira perpressus
Torquentis manus siccatur,
Illico sanus revenit,
Vito saluti redditur. | 8. Super catasta ponitur,
Cruentatur atrociter,
Exorans sanctus Dominum
Templa deorum corruunt. |

9. Gloria tibi, Domine.

Brev. ms. Ambrosianum saec. 15. Cod. Borgian. M II, 20. — 1, 4 sonent atorea. — 4, 4 Vite. — 6, 4 altissimum.

520. De s. Wilhelmo Bituricensi.

Ad Completorium.

- | | |
|---|---|
| 1. <i>Enixa est puerpera</i>
Supernum regem gloriae,
Qui praemiorum munera
Guillermo dedit hodie. | 3. <i>Gaudet chorus caelestium,</i>
Nam de sede Biturica
Transfertur hic in gaudium
Stella magorum indice. |
| 2. <i>Foeno iacens humanitus</i>
Vana quaeque sunt mutui
Sprevit Guillermus penitus
Carnem subdens spiritui. | 4. <i>Memento, praesul inclite,</i>
Qui noster pastor diceris,
Quod spreto mundi tramite
Monachi formam sumpseris. |
5. *Gloria tibi, Domine,*
Guillermi data laudibus
Praesenti detur agmine
Cordis votis et vocibus.

Brev. ms. Cistercien. Gallic. saec. 13. Cod. Aaraugien. W 7. — Cfr. Roman. Forsch. IV, 489.

521. De s. Wilhelmo Bituricensi.

Ad Tertiam.

- | | |
|--|---|
| 1. <i>A solis ortus cardine</i>
Caelestis aula resonet
Novo cantusque carmine
Guillermo laudes intonet. | 3. <i>Castae mentis ab intimo</i>
Curam gerens de ovibus,
Vota reddit altissimo
Iunctus eius amplexibus. |
| 2. <i>Beatus iste meritis</i>
Victor reddit ad bravium,
Mundi victis illicitis
Regni sumpturus bravium. | 4. <i>Domus pudici pectoris,</i>
Sancto repleta flamine,
Fundo figitur marmoris,
Ne laedatur a turbine. |
5. *Gloria tibi, Domine,*
Primatis huius merito
Laudis detur cum carmine
Mentis affectu debito.

Brev. ms. Cistercien. Gallic. saec. 13. Cod. Aaraugien. W. 7. — Vgl. Roman. Forschungen IV, 489 sq.

522. De s. Wilhelmo Vercellensi.

In 1. Vesperis.

1. Pax aeternalis, unica gignentis
Lux filialis, amor procedentis,
Omnium rerum trinum unum verum
Numen aeternum!
2. Ad te clamamus, opem flagitamus,
Pangere digna, pietas benigna,
Nobis adesto praesens in hoc festo,
Lucis origo.
3. Quo Guilelmus cursum definivit,
Aethera scandit, moriendo vivit,
Regnat in caelis semper ipse felix
Omnibus sanctis.
4. Flamine sacro penitus adflatus
Terrea sprevit, decus et primatus,
Luce serena rutilat amoena
Sobrietate.
5. Ursum in fonte monitis deiecit,
Marmor ab imis bobus ferri fecit,
Quod trahi trinis paribus bis binis
Loco nequibat.
6. Monte Laceni Dominum conspexit,
Ipso tenore, quo in cruce vixit,
Sui honoris domum salvatoris
Facere iussit.
7. Nocte candela domum visitavit,
Prece mariti coniugem curavit,
Muro defixam, quam tulerat ipsa,
Mane viderunt.
8. Hortulo lupi ipsum fugaverunt,
Anachoritae prorsus paruerunt,
Natam curavit, pater ut optavit,
Morbo lunari.
9. Illo, qui caput iaculo percussit,
Larvam obscenam procul ire iussit,
Phalma divinum fecit atque vinum
Hic Guilelmus.

10. Caelo ditatus umerum curavit,
Manum et latus, opus erogavit,
Aegrae puellae subvenire velle
Somnis ostendit.
11. Prunis extensis stratum praeparavit,
Igne succensis Ganeam vocavit,
Ut secum staret pati, quod amaret,
Ipse rogavit.
12. Caeli[ci] cives nocte adhaeserunt,
Famina sacra plurima tulerunt,
Roget ut ipse Dominum obnix,
Petimus omnes.
13. Summo sit laus, gloria parenti,
Genito semper sit et procedenti,
Numini trino, unico divino,
Nunc et in aevum.

Cod. Alexandrin. 93 (III) saec. 17. — 3, 3 oriendo. — 6, 2 quem in.

523. De s. Wilhelmo Vercellensi.

Ad Nocturnum.

1. Deus sanctorum, vita, lux tuorum,
Trinitas sancta, unitas immensa,
In confessoris laudibus benignus
Semper adesto.
2. Hic mundum spernens et superna quaerens,
Mortuus mundo vivens et in Christo,
Caelicum semper opus agit pie
Munere dignum.
3. Hoc vitae salum taliter transivit,
Quod vitiorum fluctu non est mersus,
Immo beatae sanctus portum vitae
Contigit almus.
4. Miraculorum coruscavit luce,
Quae nos canentes Deo iubilamus,
Qui sanctos pios refulgere miro
Praestitit actu.

5. Contio tota mira gesta canat,
Quae fecit sanctus pius et confessor,
Anachorita, vir Israelita,
Florida palma.
6. Quidam dum fractum brachium haberet,
Aliquod opus facere nequiret,
Sanum confessor Christi Guilelmus
Reddidit illud.
7. Antra dum montis coleret Laceni,
Videre Christum meruit beatus,
Ibique iussa sibi sic implevit
Prorsus ab illo.
8. Ipsius iussis templum praesens struxit,
De salvatoris nomine vocatum,
Virginum sponte ubi copulatur
Turma sacrata.
9. Sit trinitati decus et potestas,
Honor et virtus manenti beata
Per infinita laus sit saeculorum
Saecula. Amen.

Cod. Alexandrin. 93. (III) saec. 17. — 3, 2 fluctus. — 8, 4 Virgo
sacrata.

524. De s. Wilhelmo Vercellensi.

Ad Laudes.

1. Hac festa die sancti confessoris
Deus laudetur, cuius in conspectu
Exsultant iusti iugiterque canunt
Cantica laudum.
2. In quo laetatur sanctus Gulielmus,
Clarus confessor, qui per nomen eius
Ursum turbantem saepe sibi fontem
Voce fugavit.
3. Aquam convertit pariter in vinum,
Eius ad vocem daemon et fugatur,
Et tres curavit clinicos insignis
Ipse potenter.

4. Ipse de luna morbum nuncupatum
Mire curavit, dum puellam sanam
Reddidit inde, fecit et per Christum
Multa beatus.
5. Eius ad vocem est exstinctus ignis
Minans iacturam, ardor magnus suae
Fidei vicit flammam ignis huius
Et vitiorum.
6. Deo dicata fecit loca multa,
In quibus panis Christus immolatur,
Et peccatorum venia donatur
Fonte renatis.
7. Precibus, Christe, tui confessoris
A nobis cladem pelle et languorem,
Meritum eius semper adiuvemur
Hic et ubique.
8. Ergo nos sanctum rogemus omnes,
Impetret pius nobis ut a Christo
Pacem et salvos hostibus a cunctis
Animos esse.
9. Deum laudemus trinum nunc et unum,
Cum patre natum, pneuma simul sanctum;
His tribus unus honor sit et virtus
Omne per aevum.

Cod. Alexandrin. 93 (III) saec. 17. — 2, 3 tibi. — 8, 3 et suos hostibus

525. De s. Wilhelmo Vercellensi.

In 2. Vesperis.

1. Regis immensi gratiam devote
In confessoris laudibus manentes
Nos invocemus, ipse nostra Deus
Augeat vota.
2. Huius beati Guillelmi vita
Exstitit sequi teneris ab annis
Sacra mandata Iesu Christi semper
Mente devota.

3. Inde sanctorum gratia repletus

* * * * *
Gressibus nudis felix visitabat
Limina sacra.

4. Eius ad preces piaae quidem vitae
Ferreis faber circulis gratanter
Est circumplexus quosdam artus sui
Corporis almi.

5. Plebs tua, Christe, huius confessoris
Precibus almis sorde liberentur,
Et mereamur secum puro corde
Scandere celsa.

6. Sit Deo patri natoque potestas,
Virtus et decus spiritui sancto
Per infinita saeculorum saecula
. . . Amen.

Cod. Alexandrin. 93 (III) saec. 17.

526. De sancto Winnoco.

Ad Vesperas.

- | | |
|---|---|
| 1. Vox clara Christo concrepat
Melos atque praeconia,
Winnocum qui glorificat
<i>Aeterna caeli gloria.</i> | 3. In aetate iam florida
Sponsam, bona, imperium,
Pro te contempsit omnia,
<i>Iesu, corona virginum.</i> |
| 2. Virtute virens nituit
Ex parentela nobili,
Per quae intrare meruit
<i>Ad cenam agni providi.</i> | 4. Nudus relinquens saeculum
In Sithin monasterio
Receptus est in monachum
<i>Magno salutis gaudio.</i> |
| 5. Sit trinitati gloria
Cum triumpho victoriae,
Cui cum caeli curia
<i>Hymnum canamus gloriae.</i> | |

Vita ms. SS. Winnoci et Osualdi saec. 12/13. Cod. Bergen. s. n. — Nach dem Apographum in Cod. Audomaren. 479 publiziert von Alex. Pruvost, Chronique et Cartulaire de l'abbaye de Bergues-Saint-Winoc. Bruges 1875. I, p. XXI.

527. De sancto Winnoco.

Ad Laudes.

- | | |
|---|--|
| 1. Novus tiro tunc graditur
Virtute in virtutibus,
Wormhoudt sibi traditur,
<i>Exsultat caelum laudibus.</i> | 3. Coruscans signis claruit,
In orbe eius sanctitas,
Quam a te semper habuit,
<i>O lux, beata trinitas.</i> |
| 2. Orat sanctus, mola currit,
Dat lumen delectabile
Caeco, dum huic apposuit
<i>Signum crucis mirabile.</i> | 4. Winnoce, ora Dominum,
Ut tua iam per merita
Det nunc et in perpetuum
<i>Beata nobis gaudia.</i> |

5. Sit trinitati gloria.

Vita ms. SS. Winnoci et Oswaldi saec. 12/13. Cod. Bergen. s. n. auf dem gleichen Umwege wie der vorhergehende Hymnus.

528. De sancto Wulfranno.

- | | |
|--|--|
| 1. Festivitas est annua
Ecclesiae gratissima,
Wulfrannus hac die sacra
Evectus est in gloria. | 4. Non pigritatur discere,
Quod post valeret dicere
Ad corrigendum devios
Et ad docendum nescios. |
| 2. Natalibus spectabilis
Et moribus laudabilis,
Aetatis in primordio
Devotus exstitit Deo. | 5. Ad altiora protinus
Erectus est divinitus,
Mox universis utilis,
Miraculis mirabilis. |
| 3. Bonis placebat omnibus
Pro sanctitatis actibus,
Desiderans caelestia,
Non diligens terrestria. | 6. Rogamus, o pastor pie,
Istum gregem tu protege,
Ut pacis in dulcedine
Laetemur omni tempore. |
| 7. Per universa saecula
Deo patri sit gloria
Eiusque soli filio
Cum spiritu paraclito. | |

Chron. ms. Fontanellense saec. 9. Cod. Portus Gratiae 332. add. saec. 14/15.

529. De sancto Wulfranno.

- | | |
|--|---|
| 1. Virtute sancti spiritus
Confessor iste praeditus
Episcopatus culmine
Ditatus est dignissime. | 4. Gens Fresionum barbara
Suscepit eius dogmata
Ritus profanus deserens
Et christianos eligens. |
| 2. Favore vulgi sobrio
Clerique voto congruo
Electus est concorditer,
Sacratus est feliciter. | 5. Corroboratis omnibus
Ad Fontinellam vertitur,
Illic quiescit mortuus,
Sed vivit in caelestibus. |
| 3. Sed ut valeret pluribus,
Est visione cogitus
Ad praedicandum pergere
Incredulos convertere. | 6. Eius sacris virtutibus
Adplaudit omnis credulus,
Ut ipsius suffragiis
Caeli fruamur gaudiis. |

7. Per universa saecula etc.

Chron. ms. Fontanellense saec. 9. Cod. Portus Gratiae 332. add. saec. 14/15.

Nachträge und Berichtigungen.

- S. 26. Der Prozessionshymnus *Haec est clara dies* findet sich auch in: Grad. Nivernense saec. 11. Cod. Parisin. 9449, auf Ostern; er folgt hier, jedoch als gesondertes Ganzes, auf den Hymnus *Salve festa dies* und lautet:
- Haec est clara dies, clararum clara dierum,
Haec est sancta dies, sanctarum sancta dierum,
Nobile nobilius rutilans diadema dierum.
Ecce, toto dies rutilat festivior anno,
Qua Deus omnipotens superata morte resurgens
Traxit ab infernis captorum mille catervas.*
- S. 50. Nr. 76, Str. 1, 1 lies *Effundat* statt *Effundet*.
- S. 187. Nr. 320, Str. 1, 2 lies *baptistaque princeps* statt *baptista, que princeps*.
- S. 209. Nr. 351 steht auch in Brev. S. Mariae Erphordien. imp. Nurembergae 1497. — Lesarten: 2, 3 *oblivione*. — 2, 4 *Erunt unquam*. — 4, 1 *navigent*. — 5, 1 *dant panem*. — 6, 4 *aeternum reperire subsidium*. — 7, 4 *Et* fehlt.
- S. 211. Nr. 354, Str. 1, 4 lies *Fraglans* statt *Flagrans*.
- S. 225. Nr. 376, Str. 1, 4 lies *Deus decorum* statt *deorum*.
-

Inhaltsübersicht.

	Seite		Seite
Abiecto carnis nubilo	124	Antiochiae Babylas	87
Adcelebranda dies Mariae	238	Apostoli sollemnina	94
Adest dies laetitiae	128	Apostolorum in ordine	247
Adest triumphus nobilis	169	Arbor alta lux beata	23
Adest triumphus nobilis	290	Arbor est altae gloriae	76
Ad Germani sollemnina	162	Archangelorum principi	256
Ad honorem salvatoris	298	Armoniae fidibus Domino	118
Ad laudem sancti praesulis	130	A solis ortus cardine	309
Ad laudem tui nominis	79	Ascendat ad te Domine	162
Ad laudes regis incliti	183	Assunt festa celebra	169
Ad pedes Christi residens	240	Assunt festa inbilaea	158
Adplaudat ora Gallica	125	Assunt Goerici	163
Adplaudat plebs fidelium	135	Assunt Hyacinthina	176
Aeterna caeli gloria	19	Athleta Christi Columba	113
Aeterna Christi munera	93	Athletae Christi Migdii	125
Aeternae regi gloriae	126	Athleta stat immobilis	307
Aeternae rex potentiae	11	Audi praesul Marciane	228
Aeterna sapientia	29	Augustine lux doctorum	85
Aeterni patris unicum	22	Aurea lux mundi	266
Aeterni regis maximus	179	Aurea spes patriae	38
Alleluia dulce carmen	20	Aurora clara rutilat	229
Alma mater ecclesia	193	Aurorae fulgur radiat	120
Alma mater ecclesia	131	Aurora fulgens radiat	49
Alme confessor supplices	81	Aurora lucis rutilans	39
Alme pater clericorum	260	Aurora lucis rutilat	106
Almi Bernardi canimus	97	Aurora surgit aurea	260
Almum diem recolimus	82	Aurora surgit aurea	254
Ambrosius vir fidelis	73	Ave casta Christi sponsa	299
Anachoritae colimus	132	Ave colenda trinitas	13
Angelicae militiae	257	Ave crux lignum nobile	22
Anna matrona maxima	76	Ave Dominice	118
Anna regum progenies	77	Ave electa Deo	57
Annuntiatur caelitus	42	Ave gemma claritatis	211
Ansgari pater optime	79	Ave gloriose	101

	Seite		Seite
Ave pater pastor noster	79	Creteus Titus regia	296
Ave praesul Suellensis	156	Criscentini militia	114
Ave Romarice	282	Crucis instant sollemnia	26
Ave gloriosior	23	Cum patribus et angelis	196
Baptista Christi inclite	184	Cum protoplasti germina	92
Barbarae festum celebremus	88	Cunctarum rerum Domino	284
Barbaram diri celebrent	90	Cunctorum plasmator	127
Beata nobis gaudia	87	Decus futurum gloriae	99
Benedicite Dominum	222	Deus bonorum praemium	250
Benedicto quod psallemus	96	Deus creator omnium	303
Bethlehem tellus emicat	183	Deus creator omnium	15
Botuidi laudes colere	104	Deus qui inter cetera	303
Caeli perornat gaudia	100	Deus qui quosvis eligis	235
Caeli regem collaudemus	180	Deus sanctorum vita	311
Canamus omnes nobilem	308	Diem festum celebrantes	175
Canimus laudum pia	233	Dies datur quae lustratur	221
Cantet chorus fidelium	212	Dies sollennis agitur	231
Castis referre mentibus	225	Dies sollennis agitur	100
Catervus vir egregius	107	Dies sollennis promicat	171
Chorus Dei fidelium	271	Dignus summo in laudibus	116
Chorus novae Ierusalem	281	Dilectus hic pollet tuus	96
Chorus sonoris vocibus	55	Discipulorum numerus	295
Christe cunctorum sator	276	Divina generatio	197
Christe decus honor virtus	140	Dona caelestis patriae	212
Christe mirabiliter	33	Dorotheae collaudemus	122
Christe salvator omnium	249	Ducalis sedes inclita	39
Christe verbum patris	150	Dum patrum expectatio	48
Christiana religio	289	Effundat nobis domina	50
Christi fidelis nuntius	178	Electa Christi famula	238
Christi gementis imbribus	57	Electa Dei famula	167
Christi miles magnificus	170	Elisabeth praeconia	124
Christus Dei filius	302	En dies splendet	152
Christus vere noster cibus	32	Enixa est puerpera	309
Clara sanctorum merita	172	En nobis species	155
Colant cuncti clero iuncti	182	En orta stella Xantones	137
Collaetetur ecclesia	199	En pullulat ecclesia	291
Columbae nunc simplicitas	113	Eremitarum speculum	133
Conceptus almae virginis	42	Eskilli pro victoria	130
Concinat plebs fidelium	159	Eustachii collaudemus	135
Conditor alme siderum	139	Eyurtii sollemnia	138
Condolentes maeroribus	52	Exaltemus exaltatum	83
Congratulemur Domino	251	Exaltetur istud festum	288
Continet hymnidicus	9	Exaudi nos rex unice	14
Creator omnium Deus	88	Excelsae laudis cantica	82
Crebris pollet Polonia	166	Exemplum paenitentiae	240

	Seite		Seite
Exorta prole nobili	202	Gaude fidelis contio	69
Exsulta plebs catholica	89	Gaude felix Brundusium	270
Exsulta Sion filia	170	Gaude felix Polonia	165
Exsultemus et laetemur	298	Gaude felix Potentia	160
Exsultent agmina	71	Gaude frater qui minorum	103
Exsultet aula caelica	242	Gaude mater Anna	178
Exsultet caeli curia	105	Gaude mater ecclesia	116
Exsultet caelum laudibus	262	Gaude mater ecclesia	179
Exsultet caelum laudibus	180	Gaude mater ecclesia	182
Exsultet caelum laudibus	115	Gaude mater ecclesia	40
Exsultet caelum laudibus	93	Gaudens omnis fidelium	234
Exsultet iam fidelium	123	Gaude regis sponsa	258
Exsultet mentis iubilo	293	Gaude sponsa Dei mater	280
Exsultet plebs fidelium	78	Gaudet chorus caelestium	289
Exsultet plebs fidelium	151	Gaudio summo virgines	231
Exsultet plebs fidelium	112	Generans lucis filios	290
Exsultet plebs in canticis	116	Georgii militia	156
Exsultet vox ecclesiae	230	Germanus praesul inclitus	161
Extingue martyr grandia	219	Germinantes ut lilium	207
Felicitas alma gloriae	210	Glorietur Armenia	255
Felix parens Westgotia	168	Gloriosa mater Dei	51
Festivitas est annua	315	Grates reddamus Domino	232
Festum Mariae veneremur	239	Gratulare ecclesia	283
Festus Dei fidelibus	106	Gratulare iucundare	253
Festus sacratus martyrurum	305	Gratulemur concinentes	265
Fidelis vitam martyris	107	Gratuletur ecclesia Laudans	137
Fidelium devotio	303	Gratuletur ecclesia Nova	66
Figurarum iam detectum	44	Gratuletur hac in die	91
Fili Mariae virginis	61	Hac festa die sancti	312
Fit paradisi ianua	96	Haec est clara dies	26
Fletus moratur vesperi	58	Haec est dies quam Dominus	104
Flexo genu zelo pio	56	Heremitarum speculum	133
Flos cleri norma praesulum	86	Hunc de profundo	201
Fornacem angues superat	111	Hymnorum Domino	173
Fortunata amabilis	144	Hymnum Christo laetitiae	84
Fortunata florens gratia	146	Hymnum Deo modulatur	44
Fulgenti martyr inclite	147	Hymnum novae laetitiae	129
Fulgent magna sacrae festa	43	Hymnum novum concinite	172
Fulget celebris dies	268	Hymnum nunc dulcissimum	302
Gaudeat caeli triumphator	184	Hymnus te decet Domine	126
Gaude caelestis civitas	104	Iacobe Christi famule	182
Gaude caelestis regis	257	Iam adest dies celebris	267
Gaude coetus fidelium	171	Iam dies adest celebris	130
Gaude decus Ostgothiae	216	Iam lucis orto sidere In	102
Gaude devota Suecia	115	Iam lucis orto sidere Patrem	263

	Seite		Seite
Iam Maure summis coetibus	251	Laudemus omnes seduli	271
Iam sidus caeli radiat	150	Laudemus regem gloriae	25
Iesu corona virginum	158	Laudes ad laudes iungite	77
Iesu fili Dei	19	Laudes ad laudes iungite	25
Iesu iuste misericors	67	Laudes ad laudes iungite	129
Iesu lux vera rutilat	149	Laudes atque praeconia	286
Iesu nostra redemptio	262	Laudes conditori nostro	84
Iesu pax nostra	274	Laudes cuncti concinite	288
Iesu salvator saeculi	140	Laudes de sancto Blasio	101
Iesu sanctorum praemium	151	Laudes dicamus Domino	10
Ignitus sancto flamine	286	Laudes ecclesiae canit	209
In aula iam aetherea	86	Laudes eximias dignaque	120
In caelesti rosario	167	Laudet chorus fideliū	252
In caelestis aerario	148	Laudetur Dei filius	59
Incircumscriptione gloria	11	Laudetur sancta trinitas	20
Inclitus pastor populique	68	Laudibus celsis veneremur	178
In hoc lacynthi iubilo	177	Laudibus diem veneremur	228
In laude regis omnium	163	Legenti Tito dogmata	295
In matutinis laudibus	221	Leo papa Romanorum	220
In praeclara Genovefae	154	Levitae iam Vincentii	307
Inter caelicolas aetheris	151	Lucem reddit absconditam	177
Inter claras margaritas	282	Lux de luce prodit orta	79
Inter coronas martyrum	288	Lux ecce lustrat aurea	221
Inter excelsos niveosque	249	Lux ecce surgit aurea Diesque	270
Inter triumphos nobiles	95	Lux ecce surgit aurea Dies	267
In titulos Reparata tuos	278	Lux ecce surgit fulgida	243
In triumphanti gloria	108	Magnae dies laetitiae	293
Iohanna Orbita gloriae	113	Magne pater doctor orbis	174
Iohannes ad caelestia	198	Magnificetur artifex	74
Iohannes virgo dilecte	193	Magno Catervi gaudio	103
Iste confessor nobis	284	Magnum salutis gaudium	236
Iuliani nunc martyris	206	Magnum salutis gaudium	237
Iussu praelati presbyter	85	Mare frons ostium	143
Iussu tyranni Tertii	110	Margaretae collaudemus	232
Iuste Deus iudex fortis	16	Mariae vox ut sonuit	47
Kyneburgam laude plenam	217	Maria mater Domini	45
Laetetur vallis nobilis	81	Maria virgo virginum	56
Laetetur urbs sollemniis	254	Marina virgo Domino	241
Largitor indulgentiae	21	Marthae Mariae fletibus	240
Latus patens latus fluens	21	Martinus meritis compar	244
Lauda Deum plebs fidelis	103	Martyr Christi sublevatur	264
Lauda mater gratosum	291	Martyrium Bertivini	99
Laudemus Christum Dominum	199	Mediolani civitas	91
Laudemus cum laetitia	166	Mediolanum laudibus	73
Laudemus dignos laudibus	117	Memento nostri iugiter	146
		Mentes iuvet fideliū	51

	Seite		Seite
Mentis exsultent organa	84	Orationis lumine	202
Meritis celsam praemio	248	Ortum vitam et exitum	294
Mira dum vixit miranda	273	O salutaris hostia	33
Mirum Dei praeconium	121	O sancta Bertha inclita	98
Multaque mira hinc fidei	201	O sator omniparens	17
Mundi redemptor Domine	37	O trinitas laudabilis	12
Mundi salus adfutura	45	O venerande amice Dei	261
Nate summe rex utero	61	P acis cultor hostis ultor	160
Natus in summis Marcellinus . .	226	Palma canentes martyris	136
Nobis ascendat propere	173	Pangamus nunc carissimi	114
Nocte silenti conditor	213	Pangamus o carissimi	279
Noctis aeternae tenebris	227	Pangat sanctorum merita	246
Noctis iam cedat otium	106	Pange lingua festum nardus . . .	97
Nocturnis in vigiliis	253	Pange lingua gloriosae Ulphiae .	297
Noster chorus hymnum canat . . .	208	Pange lingua gloriosae Virginis .	54
Novis laudes praeconiis	306	Pange lingua gloriosi Conceptus .	40
Novus tiro tunc graditur	315	Pange lingua gloriosi Dogmatis .	294
Nube subducta sceleris	205	Pange lingua gloriosi Evruti . . .	139
Nunc Antonini martyris	80	Pange lingua gloriosi Proelium . .	219
Nunc Mariae Magdalenae	239	Pangere cantica laetitiae	136
Nunc noster hymnum concinat . .	223	Patris aeterni genitum	133
O benedicta trinitas	13	Pax aeternalis unica	310
O Christe proles virginis	60	Perge iam pater visiturus	191
O Christe sponse virginum	89	Per terram Israel tonat	42
O decus Alexandriae	214	Pia mater ecclesia	306
O decus patrum baptistaque . . .	187	Pias homo da lacrimas	21
O decus sanctimoniae	133	Plaudat chorus angelorum	148
O gemma nitens rosei	190	Plaudat nunc sacra suboles	186
O gloriosa domina Hirsutos	59	Plaude mater ecclesia	158
O gloriosa domina Trans.	55	Plaude nunc Sora	280
O gloriosa trinitas	14	Ploratus heu largiter	195
O gloriose pontifex	275	Pondere ferri gravior	110
O gratia quam maxima	194	Postquam transgressus Domini . .	37
O imperatrix regia	59	Post temporum curriculum	275
O lacrimosa domina	54	Praeclara Dei gaudia	243
O lux et decus Abulae	308	Praeclara dies Domini	72
O Michael eximie	257	Praeconium dulcissimum	46
Omnipotenti Domino	15	Praecurris tu ad tumultum	195
O pontifex sanctissime	285	Praelati sancti ordinis	207
Optata dies advenit	220	Praesens dies expendatur	41
O quam dignis celebrandus	297	Proles Francisci germinat	245
O quam felix coniugium	78	Proles matris ecclesiae	241
O quam laeta dies	141	Psallat Christi ecclesia	181
O quam mira Iesu fuit	265	Q uae pertulisti vincula	111
O quis videret animam	53	Quas seminavit lacrimas	69
Oratione sedula	72		

	Seite		Seite
Quem credimus ex virgine . . .	60	Sator princepsque temporum . . .	14
Qui cum triumpho gloriae . . .	26	Scandat polorum sidera . . .	296
Recordare Domine . . .	38	Secus Christum dum ad istum . . .	292
Regem laudemus supernum . . .	208	Senericus hic advena . . .	284
Regina terrae gentium . . .	60	Si confessoris tanti . . .	272
Regis immensi gratiam . . .	313	Sigfridi archipraesulis . . .	285
Regna poli ianuas populus . . .	256	Sint salutati caput et . . .	61
Rerum creator omnium . . .	66	Sol de stella purissima . . .	50
Resurgens Dei filius . . .	241	Sollemne tempus imminet . . .	259
Reversus ab exsilio . . .	197	Solvimus magno superoque . . .	203
Rex salvator alme . . .	65	Spes famulorum Christe . . .	235
Rogatus Deus rumpere . . .	52	Splendido sacra gratulans . . .	164
Romanis olim sedibus . . .	252	Sponsa caelestis generosa . . .	216
Sacra dies infunditur . . .	198	Suam cognovit uxorem . . .	272
Salve festa dies felix octava . . .	28	Sublimem tui gloriam . . .	194
Salve f. d. qua Christus . . .	27	Sub medio silentio . . .	48
Salve f. d. quam . . .	31	Sume Nicola sacer . . .	261
Salve f. d. quam . . .	31	Summae sedis antistitis . . .	164
Salve f. d. toto . . . Qua Christi . . .	34	Summe redemptor omnium . . .	233
Salve f. d. toto . . . Qua datus . . .	277	Summi praecepta Domini . . .	131
Salve f. d. toto . . . Qua Deus . . .	18	Supernae lucis claritas . . .	149
Salve f. d. toto . . . Qua Deus . . .	18	Surge et in aeternum . . .	16
Salve f. d. toto . . . Qua Deus . . .	29	Tardi quidam ad credendum . . .	263
Salve f. d. toto . . . Qua fert . . .	266	Te Christe nostra cantica . . .	98
Salve f. d. toto . . . Qua Jesus . . .	18	Te decet laus Domine . . .	10
Salve f. d. toto . . . Qua Kyne-		Te decet laus te decet . . .	10
burga . . .	217	Te Deus una trinitas . . .	11
Salve f. d. toto . . . Qua Kyneburga . . .	218	Te Iuliane canimus . . .	204
Salve f. d. toto . . . Qua nova . . .	33	Tener ligni vermiculus . . .	115
Salve f. d. toto . . . Qua nova . . .	30	Te trinitatis gloriam . . .	12
Salve f. d. toto . . . Qua pater . . .	174	Theodosii filia . . .	229
Salve f. d. toto . . . Qua pia . . .	24	Throno sedente principe . . .	287
Salve f. d. toto . . . Qua pugil . . .	157	Torrida lampas adapta . . .	279
Salve f. d. toto . . . Qua sacer . . .	30	Trine Deus atque une . . .	141
Salve martyr egregia . . .	249	Triumphali memoria . . .	207
Salve parens Anna . . .	75	Tropaea palmae nobilis . . .	94
Salve sancta dies celebri . . .	123	Tu Christe nostrum gaudium . . .	259
Salve sancta parens . . .	58	Tunc poni te in foveam . . .	147
Salvatorem collaudemus . . .	269	Tu parens nato debita . . .	105
Sancte Deus altissime . . .	67	Unum Israel de fontibus . . .	75
Sancte Paule apostole . . .	268	Urbs Realina gaudeat . . .	112
Sanctificetur dies ista . . .	35	Ut collaudare gentes . . .	200
Sancti Martini praesulis . . .	244	Ut Deus sit propitius . . .	168
Sanctorum meritis inclita . . .	161	Ut tuis dignas meritis . . .	204
Sanctorum nobis meritis . . .	277	Veni creator spiritus . . .	211

	Seite		Seite
Verbum a patre prodiens . . .	46	Virgo prudentum comitata . . .	215
Victrix fides quam non . . .	246	Virtus patens prodigiis . . .	148
Vidit puer Ansgarius . . .	80	Virtute sancti spiritus . . .	316
Virginale praeconium . . .	301	Virtutum Dominus regum . . .	165
Virginis proli facie . . .	109	Voces attollat populus . . .	278
Virginis sacrae Fortunatae . .	145	Voce te sanctum Dominum . .	224
Virginum Christo celebrare . .	134	Vocibus caelum resonat . . .	175
Virgo Christi Victoria . . .	304	Vox clara Christo concrepat . .	314
Virgo dilecti nova . . .	214	Vox pura laudat exitum . . .	178








43 # 10823

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK CRESCENT
TORONTO - 5, CANADA

1 0 8 2 3 .





GretagMacbeth™ ColorChecker Color Rendition Chart